
BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
XVIII
D
8
NAPOLI





THEOD. I. F. GRASWINCKELI,

DELPHENSIS, I. C.

DE

IVRE MAIESTATIS

Dissertatio,

AD

Serenissimam Potentissimamque

SVECORVM, GOTHORVM, VANDALORVM, REGINAM.





HAGÆ COMITIS,

Ex Officina THEODORI MAIRE.

CIↃ IↃ CXLII.



SERENISSIMAE.
POTENTISSIMÆ.
PRINCIPI.

CHRISTINAE.

D. G. SVECORVM. GOTHO-
RVM. VANDALORVM-
QVE. DESIGNATÆ. RE-
GINÆ. ET. PRINCIPI.
HÆREDITARIÆ. MAG-
NÆ. PRINCIPI. FINLAN-
DIÆ. DVCISSÆ. ESTHO-
NIÆ. ET. CARELIÆ. DO-
MINÆ. PIÆ. FOELICI.
TRIVMPHATRICI. AV-
GVSTÆ.



SERENISSIMA ET POTENTISSIMA DOMINA

REGINA,

Domina Clementissima.



QUÆ supremis potestatibus offeruntur donataria, perinde ut quæ in templis dedicantur, devotione offerentis potissimum laudantur. Dignitatis & pretii respectus jure posthabetur, præcipue cum quid illis offertur, quorum magnitudo omne inter mortales fastigium excessit. Viles etiam res & obvias; ut aquæ haustum, Persarum Monarchæ, præ raris & exquisitissimis placuisse accepimus: studium quippe intuenti

subjecti

ſubjecti fidelis, animumque, etiam abjecta in re, magnum juxta ac devotum. Quod nunc, AVGVSTISSIMA DOMIÑA, ad pulvinaria tua ſupplex ego depono, habet aliquid cur nemini præterquam Tuæ Majeſtati poſſit offerri. Auſus ſum delineare fulgentiſſimum illud decus, quod à Deo immortali derivatum, cumque ſolis communicatum rerum humanarum Dominis, tanto in te cognoſcitur expreſſius, quanto interomnes diademate & ſceptro ſignatos, excelſius effulges. In ea terra ſtatuit tibi ſublime ſolium imperiorum ille auſpex Deus, quæ cum ab omni annalium memoria celebretur, adeo ſacras tamen abſconditaſque ſemper habuit incolarum origines, ut deſignare illas nemo permiſerit ſibi, & ne fabulis quidẽ in eas quid licuerit; quin imo & illi cui cæteræ nationes conceſſere, ceu primæ animantium genitrici nutriciq;, dignitatis hujus controverſiam movere Gothos cum ratione creditũ ſit. Quæ per omnes pene terræ habitabilis regiones miſit colonos, nunquam alios ipſa recepit, indigenarum ferax, migrationi-

bus advenarum haud vexata. Ei nationi imperas, quæ militarem gloriam fortibus factis domi forisque ab eo possedit tempore quo nosci cœpit, eamque in hunc diem sine ulla imbelliæ macula continuavit. Quæ jam olim apud Poetas, qui fabularum pictura vero gratiam & dulcedinem addiderunt, meruit ut Martis in ea regia poneretur. Quæ sola ex omnibus gentibus molliorem sexum virorum virtute animavit, & late diuque dominantes Amazonas, non naturæ modo sed & imperii pulcherrimum prodigium, tulit. Cui Persicæ Monarchiæ conditor, tot laureis decoratus & triumphis, quot ante eum nemo, procubuit uni, & quidem Reginæ ductu: vitamque simul, & firmissimum exercitum, & majorem utroque famam amisit. Quam successor ejus Darius cum eo jam crevissent Persicæ opes, ut non numerum inirent militum aut catalogis eos recenserent, sed capacissimo loco multitudinem metirentur & de summa capitum divinarent, non meliore, sed paulo clementiore fato tentavit, suum hostibus omnium cæterorum potitis

tis ſpiritum eripuiſſe contentus. Quos magnus Alexander jam Græcia Aſiaque ſubjugata, tam multiplicis victoriæ inſtrumentis adortus, etiam poſt minus fœlicem congreſſum ſocios & amicos eſſe quam provinciam maluit. Alexandro vita functo cum alia regna prætores ejus ducesque multo cum ſanguine partirentur, hanc hæreditatis partem velut ſacram, & adeundæ ejus impares, cernere nullus cogitavit. Quos Romani omnibus pœne regnis gentibus ſub jugum redactis, quamdiu ſapuerunt, reliquerunt intactos, nec totius mundi vires adverſus unũ populum auſi ſunt periclitari. Prudentius ſane quam fortius: ſed quotquot priorum manus cum illis conſeruerant, ut limphatos & in cladem ſuam immiti thyrſo actos ludibrium debuiſſe aut pœnam noverant. Sollicitati toties & impetentes ſtrenue ulti, ne ſemper domi exſpectandos haberent, aut viæ laborem illis gratificarentur; cœperunt & ipſi de laceſſendis æmulis cogitare, & inferre terrorem ultro, quem intra propugnandi aut repellendi hactenus adorem ſtiterant. Tum

vero

vero rebus apparuit,nullos mortalium invicto animi robore,patientia corporum,arte tractandi arma & fœlicitate ante tuam, DOMINA, gentem esse. Taceo alias expeditiones, nobiles quidem,sed minores: unam mente versor & ab oculos habeo:unam dico, qua illustrissimum post homines natos imperiũ Romanum, quod cætera suæ ditionis, sui fecerat juris & corporis, Asiæ, Africæ, Europæ omnia cultiora complexum, ac tot ætatum viribus validum, non concusserunt aut duntaxat carpserunt,aut aliquo membro mutilarunt, sed ab imis solutum fundamentis everterunt ac dissiparunt. Hoc plus est, credo, quam aut Trojam aut Babyloná capere. Timuerant aliquando nepotes illi Romuli vicinos Sabinos aut Etruscos : senserant à Gallis urbem captam & obsessum Capitolium: Pyrrhi impetu belluisque conterriti inhorruerant:cum Carthaginiensibus bellantes cogitare de supremis Hannibal ad portas adegerat. At vero non unius urbis cives, sed totius orbis Dominos,non obsidere, in metum conjicere, ad desperationem

com-

compellere, sed plane exuere possessionibus, adfligere & subjicere, non Brenni, non Pyrrhi, non Carthaginensium fuit, sed tuæ gentis, DOMINA, sed eorum qui hoc ad Tuam Majestatem sceptrum transmiserunt. Sedem igitur & caput imperii septicollem urbem occupatam & direptam aliquoties composuerunt tandem, & ut regiam suam habitarunt, legibus & jure gubernarunt: Græciæ tenuerunt bonam partem inclitasq; illas Athenas: Hispaniæ plus quam triginta dederunt Regum successiones: in Gallia & Germania se fecerunt adorari. Quis enim homagium illis præstare recusaret, qui domuerant Romanos? Hujus indomitæ & omnes alias virtute prætergressæ gentis frenum teneris tuis manibus commissum est, SERENISSIMA AC POTENTISSIMA VIRGO, hos Tu sapientia temperas, & velut leonem pectendum suscepisti: ut nunc demum vivo exemplo demonstratum sit, quod finxit antiquitas, Palladi parere Martem. Equidem facile & pronum est imperare ad omnem servitii

(b) patien-

patientiam natis, ubi tam vitia superiorum coluntur quam virtutes, ubi pro jure & æquo est vis improbissimorum satellitum & effrenis libido regnantis. Asiaticorum tyrannorum hæc barbaries est, qui scelere occupatas dominationes non possunt nisi scelere tueri, ac suæ potentiæ munimen statuunt vilitatem & inertiam subjectorum. Quos si sic oppresserint, ut sub servitute gemant, sanguine suo ac medullis pascant quotidie fucos illos, parasitos aularum & corruptores, quibus nihil est prius quam noxiis blanditiis aures principum ad verum obturare; prærogativam Regiam loqui, cum rapacitati ambitionique & malitiæ suæ nomen illorum obtendunt, cum sibi peccandi impunitatem procurant, quibus ludus est merus jugulare ac tollere quicquid est antiqui moris, juris, cõsuetudinis; semper deniq; insusurrare illud, oderint dum metuant: tum demum regnare se immani errore arbitrantur. Tibi contra amor tuorum certissimus est sponsor diuturnitatis ab ipsa æternitate primæ; tuopue exemplo cives doces legum re-

veren-

verentiam. Optima cum ſis ipſa, nihil prævides magis quam ut optimis imperes. Talis olim Antoninus Imperator, fratri Severo gratias agebat, quod per eum Thraſeam, Helvidium, Catonem, Brutum cognoviſſet: quodque ſibi fuiſſet auctor concipiendi animo formam Reipublicæ, in qua æquo jure cuncta adminiſtrarentur, formam Regni quod nihil haberet antiquius libertate eorum qui regnantur. Ipſe adeo cœli Rector cum liberrime agat, hanc tamen indicit neceſſitatem ſibi, ut ſemper agat bene. Hunc imitari præcipua Regum Majeſtas eſt, & omni imperio majus, ſubmittere legibus principatum. Hæc tui ſpecies imperii eſt, DOMINA, eo perfectioris, quo Majeſtati Tuæ majorem ſervat innocentiam, atque ob ſupremi Numinis favorem omniumque hominum benevolentiam ſolidioribus nititur fulcris; & fidelius obſequuntur qui ſe ſciunt nunquam niſi ad honeſta cogi. Sic principatum & libertatem res olim ſociari neſcias, majores tui miſcuerunt. Sic imbutos eſſe oportebat,

qui opem ferrent adflictis, & ferocientes in Germania Hispanos, crudelissimumque jugum Belgio excussum illius imponi cervicibus exsultantes, compescerent & opportuno sufflamine inhiberent. Quod quidem Parenti Majestatis Tuæ incomparabili, atque omnem supra laudem DIVO GVSTAVO MAGNO postremum operum mortalium fuit. Quem sane quis admirari satis etiam candidissimorum alienæ virtutis interpretum, ne dicam quis percensere elequentissimorum & per omnem ire heroa possit? Juvenis gubernaculo admotus dubio etiamnum & fluctuanti ob recentem pulsam tyrannidem, robustam illam ac maximi regni lacertis & visceribus sustentatam, Patris & procerum causam adseruit, hostibus omnem recuperandi, quæ per superstitiosam perfidiam & perfidam superstitionem, rupto sacramento regio, amiserant, spem & suspicionem ademit, religioni securitatem circumdedit, thronum sibi & suæ posteritati, quantum in rebus humanis, firmum ac stabilem collocavit. Sic patria

(d) con-

constituta majorum laudabili imitatione aggressus, qui se inquietarant, quoties in campum descendit, exercitus postravit ac delevit, quoties castra movit, fines protulit. Moschos domuit & parte regni multavit: Livonos subegit: in Lithuania, Borussia, victricia signa fixit: pacem denique sibi honestam, fidelem, tutam, formidabilis pariter virtute & ob bonitatem clementiamque adamatus & inimicis undique & paravit & sanxit. Inde misertus Germaniæ est. Illa, illa virorum atque armorum juxta potens intestinis confecta cladibus, religionem conculcatam & propemodum exstirpatam, Principes dignitate & patrimoniis exsutos, vindices omnes sui oppressos aut debilitatos, bonos pecorum more mactatos, & per omnia tormentorum & cruciatuum genera trucidatos, urbes igni crematas, vastata omnia, ad solitudinem redacta tot jam annos deploraverat, ut ne lachrimæ quidem sufficerent. At vero Serenissima DOMINA immortalis memoriæ DIVUS parens Tuus, cum fœlicissima quiete perfrui ac Phæacum deliciis, fidens

suis, ab externorum metu liber, immergi potuisset; tantorum laborum præmium sprevit, ut succurreret indigentibus vicinis & cognatis, novo discrimini partam per tot sudores gloriam maluit subjicere, quam injurias miserorum tolerare aut oppressores dimittere impunitos. Itaque Deo sospitatore fretus & propositi sui justitia, non magna & contemta hostibus armatorum manu mare trajecit: in eam regionem exscendit, in qua ubi pedem poneret, armis erat parandum. Ibi medio omnia campo posuisse præsidem bellis Deum Sebaoth experiundo monstravit. Immenso numini quod sedulo venerabatur, quodq; imitando exprimebat, & bello, & belli & ipse sui privatim publiceque victor, victoriis ac triumphis assuetos & ducum suorum stipendiis pares exercitus, toties cecidit, toties profligavit, quoties obvios habuit: religioni & libertati signum salutis extulit: depulit tyrannos, exules restituit: innumeras urbes cepit non ut in pretium victoriæ possideret, sed ut legitimis possessoribus vindicaret: donec in

pulcher-

pulcherrimo hoc opere augustum illum spiritum reddidit Deo suo, imperatorem ut decebat conferta in acie, stans, ac victor. Tantas illis non annorum sed multorum seculorum res, tam brevi vita, breviori multo temporis spatio gessit, ut cogitandi etiam destinandique moram prævenerit, & cum effectu appareant, ut ne celeritate agendi fidem apud posteritatem minuant, scriptoribus laborandum sit. Raro militaribus ingeniis adsunt togatæ virtutes, multique fortissimi imperatores partam in paludamento & sub pellibus laudem in prætexta decoxerunt. Ille vero hujus quoque meriti tulit palmam, tantoque moderamine civiles habenas admoderatus est ut non seditiones aut turbas, sed ne querelam unquam sit expertus populi sui: pietate in Deum maximus, justus, clemens, misericors, humanus, facillimi accessus: divitiarum nec avarus nec prodigus, in meritos liberalis, sobrius in victu, sanctus, innocens, unius matrimonii, eruditus qui quicquid historiarum aut civilis providentiæ charti

con-

conditum erat, legendo addidicerat: plurimarum linguarum peritus & exprimendarum in tempore promptus: doctorum amans: subtilissimus in legendis ministris imperii sui: sagacissimus futuri conjector, consilii expediti & in exsequendis mature consultis acer promptusque, cui deniq; nihil omnium, quæ maximum Monarcham perficiunt, deerat, multa ad decorem superessent. Quare hac quoq; nascendi fœlicitate Tua Majestas omnes, qui per totum terrarum orbem rerum potiuntur, multis parasangis antecellit. Et miraremur magis in Virgine plusquam virilium curarum pondus, tot regna tranquillitate summa omnibusque boni regiminis proventibus fruentia, tot provincias sine motu obnoxias & obsequentes, infestissimum & longe lateque dispersum bellum extra fines in locis hostilibus & transmarinis multo cum successu administratum, fœdera cum præcipuis Christiani nominis Regibus & Rebus publicis aut inita aut renovata: nisi Te gloriosissimæ et domitricis quidem cæterarum, semper autem indomitæ, gentis Reginam;

ginam; nisi Theodoricorum, Alaricorum, Gensericorum traducem sceptrique hæredem; nisi, quod nulla inferius gloria est, DIVI GUSTAVI MAGNI unicam filiam, virtutum ejus vastique animi compendium, inque amabiliore sexu similitudinem, vivam denique Regiæ dignitatis imaginem nosceremus. Nisi in Te veneraremur augustam illam Majestatem, qua supremam in terris sine pari repræsentas? Hanc, quæ votorum nobis summa utinam diu repræsentes Augusta, Pia, Fœlix, Triumphatrix, sero repetant cœli hoc nobile pignus, & dum nobis cum eris, minus desideretur summus ille GUSTAVUS, cujus in Te virtus, animus, fortuna duplicetur.

NUMMI MAIESTATIQUE TUÆ

Devotissimus

THEOD. GRASWINCKEL.



EXIMIO VIRORUM
ET AMICORUM
THEOD. GRASWINCKELIO,
Equiti, Fisci Advocato, &c.

POST EXPEDITAS TOT CLIENTIBUS CAUSAS,
ORATIONIS VI FLUENTIS ET LINGUÆ,
TORRENTIS INSTAR QUÆ VOLUBILIS FERTUR,
VIR MAGNE ET ACER, IN TUAM CLIENTELAM
LEX PRIMA REGUM, PRINCIPUMQUE REGINA
SE DIDIT IPSA SUBJICITQUE MAJESTAS,
RERUMQUE FISCUS ARBITER GERENDARUM,
QUOS NUNC PATRONUS TOT CLIENTIBUS
JUNGIS.

DANIEL HEINSIUS.

THEOD. GRASWINCKELI
DELPHENSIS. I.C.
De

IVRE MAIESTATIS
DISSERTATIO.

CAP. I.
De Origine Summæ potestatis. Hanc esse à DEO demonstratur.



Vmmam potestatem quando quidem sibi à se ipso nemo præstare potest, ejusdem proinde originem, quatenus illam & videre in terris & agnoscere contingit, nemo sanus aliunde deducat, quam ab ipso Deo. Hujus ut est in omnia imperium, ita ab illius eodem imperio Reges sunt & Regna. *Per me Reges regnant, & Principes justitiam decernunt, per me dominantur Iudices terræ,* ait Sapientia, quæ ipse Deus. Est quidem illa summa potestas, Deo, qui eàm exstruxit contulitque, ex asse subdita; est pro illius beneplacito mutabilis: sed non alio modo, quam ut huic uni submissa, omnibus cæteris indistinctè dominetur; illi secunda, reliquis sit prior. Hac ipsa de caussa non male dixerit quis, propiorem aliquem cogna-

tionis nexum inter Deum & Reges spectari: cum, quod ipse Deus in Rege, tanquam se quæ referat imagine, observari ac coli velit: (quod testentur illa, *Deum tuum honorabis, Principi populi tui non maledices.*) tum, quod in universi bonum quam prudentissime semel constituta, constanter servari velit, servetque: tum denique, quod ea quę ad universi ejusque partium gubernationem à se concepta, decreta, ac conclusa sunt, sæpe admodum per Reges, ut dilecta sibi atque destinata organa, potenter explicet, atque ad fines suos, qua de re suo loco nobis sermo erit, perducat. Ergo & in ipsorum actus influit: *Dat salutem Regibus. magnificat salutem Regnantum. docet manus eorum ad prælium, & digitos ipsorum ad bellum.* Idem Reges *Deos* appellat, *cor ipsorum manu premit, ut aquarum scaturiginem ac divergia inflectit, in medio Deorum sedet*, & *se quidem abscondendo rerum arcana, illos autem ab latentium causarum detectos nexus, ob protracta in lucem secreta, claros ac magnos haberi* cupit: quæque his similia passim in sacris occurrunt. Ita honorem suum eorum honori vult blande conspirare. Sed tamen hæc ita facit, quod jam nunc dictum, ut ipsorum Regum dominus absolutissimus, & ut eorundem quaquaversum dominator. Vt eadem habet sacra Scriptura, *est illi constitutum in cœlis tribunal, exercet in ipsos regnum, ac cum regno dominium. in cœlo, terris, abyssis omnibus, quod visum fuerit, pro libitû facit.* ipsos certe Reges pro eodem beneplacito fert agitque, *Dominantium* (sunt hæc verba sancta) *coronas pedibus conculcans, despectionem super Principes effundens, oppressos attollens, cingulo dominantium renes aut præcingens, aut dissolvens.* Hinc & *ab aratro & stiva,*

stiva, ab ergastulis & sterquilinio Regem legit. Sin ita res ferat, aut meritum pœnæ, *virgam furoris sui* hunc ipsum facit. eundem *in indignatione sua aufert. Dat* item *in furore suo, populis iratus, Reges malos, Principes quos non cognovit, Dominatores qui non exstiterunt ex ipso*, (sic enim sacra eos pagina appellat:) *infrunitos, effœminatos, pueros, hypocritas*, & id genus alios. At enimvero, qualescunque tandem Reges populis præponit cum imperio, absolute summos, & præterquam sibi, nulli obnoxios eosdem præponit; sibi rationem commissi regni, sibi imperii administrati reddituros; se præter, nemini. Prius firmant illa: *Fili mi ne discedito perturbatus à facie Regis, ne consurgat derepente ira illius, & quis dicat ei, quid facis?* Item, *Turbantibus, in Regem moventibus, ne te admisceto, ruina eorum & destructio stant præ foribus.* Evincunt, *Corah, Dathan, Abyron*, quos superiori potestati obstrigilantes subita voragine immane hiantis terræ barathrum absorbuit. Posterius claret per illam regii prophetæ confessionem, quam neque Deus mentientem non laturus, neque Ecclesia Dei, ut veritatis propagatrix, ita mendaciorum severa expultrix, unquam falsi ream fecit; *Tibi soli peccavi.* Vtrumque clarissime evincitur per jam dicenda. Primo quia quos reges facit, non solum regali nomine adornat, sed ad se quoque tuendum fortes facit, ac gloriam iis & majestatem, quę reverendos reddat, atque adeo visibilem, & visibiliter etiamnum, circumdat. Huc faciat quod & à Chrysologo observatum sermone 131. conspexisse Esaiam (de quo legere est apud prophetam ipsum cap. 6.) *Deum sedere habitu regali*, ut agnosceret, nisi à Deo

regerentur Reges, eos, cum ſint homines, nihil regere poſſe rectores. At ait divinum effatum, Regem ſedentem in ſolio ſuo diſſipare oculis ſuis omne malum: Sane in ipſorum partes Deo veniente, atque ipſos adgubernante. Non eſt enim, ut quis malum in regios ſe oculos protollens, ipſo coram throno ſe ſiſtens, ſubruat evertatq;, niſi qui idem ſubruendi illud atq; evertendi ſit potens divinitus factus. At neque levis aut evanida poteſtas cenſeri debeat, per quam omne malorum genus, in ipſam majeſtatem incurſurum, ſolo oculorum non fulgore dicam, aut fulgure, ſed nictu dumtaxat affligatur, proſtratum confundatur, diſſipetur. Qualis ea ſit ex hoc dicto intelligas; *Deus cœli, regnum & fortitudinem, & gloriam dedit tibi*, ait Daniel propheta Regum Regi Nabuchodonoſori. Secundo, quod venerationem regiæ majeſtatis tanto cum potentiæ, omnia ſibi ſubjicientis, effectú, ipſis ſubditorum animis inſinuet Deus, ut eam omnes non expectorandam mentibus circumferant, niſi majeſtate ipſa divina prius calcata atque eluſa. Quantum ſe ſuper Reges efferat major auguſtiorque Deus, jam vidimus. Quantum homines ſupra cætera animantia extare voluerit, docet illa vox, *Terror veſter ac tremor ſit ſupra volucres cœli, piſces maris, terræ animalia.* At neq; minus verum. Quantum homines belluis anteſtare voluit, quanto ſibi Reges decedere; tanto velle ipſum, ſubditi demiſſiores ut ſeſe illis ferant, quos ſibi cum imperio præfectos agnoſcunt, ſed Deo autore. Exemplo res illuſtretur. Humili de ſorte regale ad faſtigium Saul evehitur, evectus in Ammonitas expeditionem parat, vires cogit,
tranſ-

transmittit par boum in frusta dissectum per extrema regni, minis regalibus detonat, edici jubet sic armento ejus futurum qui Regem non protinus sequatur. Quid fit? pavor populum invadit, egrediuntur tanquam si vir unus esset. Vnde pavor? Scriptura divinitus immissum testatur. Hoc per se satis: at nec ratione destituitur, cum in imperii majestate salutis tutela sit. Hoc ferrumen animorum, hic ille spiritus vitalis, quem tot millium millia agnoscunt. Hunc qui animis excusserit, idem excusserit ipsum Deum. Vnde nota illa veneratio Davidis, Christum Domini Saulum sic respectantis, ut desertum atque à suis destitutum, male habere non sustinuerit; ut vel solio, cui se ipse divinitus super imponendum noverat, deturbatum, lædere cum posset, & milites id contenderent, non modo lædere ausus non fuerit, sed vel rotundo ore detestabundus procul à se absore edixerit, ut in Christum Domini manus intenderet. Quid, quod non modo Reges à Deo sint, sed immediate quoque sint à Deo! quod nobis tertii argumenti loco esto. Vnde illud, *Dixi dii estis*. Hæc vox non alium quam Deum ipsum loquentem exhibet. Sic in citato primitus loco quater illud repeti videas, *Per me Reges regnant, per me Principes, per me Dominatores, &c.* Sed neque simile vero, ut qui immediate agere deprehenditur, hoc quod facit, nolle dicatur, aut eosdem ipsos, quos immediate à se pendere vult, aliis substernere. Cum de spiritu Mosis ablata pars fuit, factum id immediate: cum pars ablata in septuaginta viros fuit collata, factum perinde. Cum & Saulum, quem Regem sibi electum edixerat Deus, & designa-

 verat

verat Regem per Samuelem, alius ſpiritus invaſit: ſane ille Dei ſpiritus fuit, & quidem, ut immediate hæc agentis, immediatus. *Invaſit eum ſpiritu ſuo, & repente mutavit in alium virum*: ita textus. Ergo immediate à Deo Reges, ſoloque ipſo minores. Quod inde quoque evidenter apparet, quod Regem Deus ſibi juſtitiam exercere, ac judicia Domini in populos ſibi commiſſos ac ſubmiſſos expedite, mandat. Eſt ille cui ratio reddenda, ſuperior; à quo reddenda, illo minor. Quin diverſa ſint Deus & homo, dubio caret. Cum ergo dicitur à Ioſaphato, judices *non hominis exercere judicium ſed domini*, excluſo homine, ut pote cujus ab hoc exercitio interventus arcetur, Deus ipſe immediate ponitur. Quinimo, quo manifeſtius nihil adferri pote, ipſum Deum judiciis iſtis immiſcet ſacer textus cum ait *Et ille erit vobiſcum*, ſupple, Deus, *in negotio judicii*: aut, ut non minus efficaciter alia verſio; *quodcunque judicaveritis in vos redundabit*. Non aliovorſum hoc, quam quo planum fiat, inter ipſum Deum, ac conſtitutas à Deo poteſtates ſummas, medium aut intergerinum nihil intervenire. Qui hominem fecit ad honorem ſui, multo magis Regem, hominibus cunctis anteſtantem. Hominem qui nullo mediante, & Regem quoq; eundem ad modum qui creavit, ipſe ſui honoris vindex atque exactor acerrimus eſt, honorem ſuum hominibus transſcribi præfracte vetat. Procul abſit, ut miniſterium aut opem hic agnoſcat, cujus non indiguit. Nemo pius, nemo ſanus, credat, ut quos ſummos voluit, admiſſo medio aliquo velut ſequeſtro moderamine, inferiori populo ſubeſſe voluerit: nedum ut voluerit contra manifeſta-

riam

riam voluntatem & per contrarias anteſtationes omnibus patentem: nedũ ut voluerit haud alio nomine, quam quod mediate partes aliquas in conſtituendo Rege ſuſtinere, jam dictus nobis populus quandoque poſſet. Quarto, etiam ex illo patent jam dicta, quod ipſis Regibus ſe explicuerit Deus. Nempe quod vellet ipſos ſupereminentia poteſtatis, non qualicumque demum, ſed expreſſa, ſubditis exſtare. Fidem in temporibus, quæ à Theocratico regimine fluxerunt proxima, faciunt illa Prophetæ, *Ecce unxit te Deus ſuper hæreditatem ſuam in Principem*: Verba ſunt ad Saulum Samuelis. Altera Prophetæ ad Iehu (notentur, ſodes, verba, & quidem ipſum Dei teſtimonium immediatam hic in Regem unctionem teſtantis.) *Hæc dicit Dominus Deus Iſrael, unxi te in Regem ſuper populum Domini Iſrael.* Vbi & verbum illud *ſuper* non aliter quàm pleno cum effectu intelligi poteſt. Vt in illa quoque oratione Dei ad Samuelem *non te ſpreverunt, ſed me ſpreverunt.* Cur vero ſpreverunt? Deum audiamus: me ſpreverunt *Quo ne regnem ſuper ipſos.* Nempe quod à Deo datum ipſo judicem repudiaverint. Attendatur autem ibidem ratio illa Regis ſuper Iſraëlitas regnaturi, quam Deus Samuelem edicere populo jubet, continens gravem illum regnandi modum, qui populos regio ſub imperio agentes nunquam non premat. Nam quod non alium Regem habere voluerint Iſraëlitæ quam qui ſummo imperio ipſis præeſſet, tria potenter evincunt. Primum eſt, quod Regem flagitaverint ad inſtar cæterarum gentium. At quod fuit illud inſtar? Audiamus abbreviatorem Trogi. Populus *nullus legibus tenebatur, arbi-*

arbitria Regum pro legibus erant: perinde ac si cum Pomponio nostro diceret, *Manu regia omnia gubernata fuisse.* Alterum, quod mandante numine propheta edixerit, *Denique vos eritis ei servi*; aut ut commodius explicari videtur, *Eritis ei in servis.* Hæc saltem nunc altera immediata Dei voluntas petenti populo annunciata, rem dubio omni evolvit. Tertium, quod nequaquam se istis denunciationibus ab instituto dimoveri passa duricervix natio, *Nequaquam* regesserit denuncianti prophetæ, subjunxeritque, *Rex præerit nobis.* Quintæ rationis aut argumenti locum tueri possit ipsa, eaque continua, & praxis & observatio. Reges etiam propalam improbos, & populorum tormenta, sanguisugas, hoc ipso nomine tutatus est Deus quod Reges essent. Non Vrias trucidatus etiam contaminato per adulterium maritali lecto, non actus in censum populus, hic fibulam injecere. Non Salomonem paterno è solio deturbarunt meretrices numero sane nimio in regiam receptæ, non in cultus idololatricos tanto Rege non dignus consensus. Obvia passim sunt exempla his similia, nec iis memoratis opus. Vnum Salvatoris nostri sufficerit, & vitæ & necis dominum agnoscentis non Regem ipsum, sed Regis etiam vicarium; idque non alia de causa, quam quod exsequeretur sibi destinata, è potestate quæ ipsi data divinitus, quinimo directe edocentis, *non effecturum, nisi potestas ei divinitus fuisset facta.* Missa ut faciam, *Cæsari quod Cæsaris foret ut daretur* eundem jussisse, nec non obedientiam miraculo saucitam, dum ab intimo maris fundo, atque ex penitis interaneis piscis didrachma eruitur, quo nulli in du-

in dubium revocandus hic obedientiæ nexus pateret. Quid? quod neque alia praxis esse potuit, nisi quæ propatulo in ipsius præcepti districtam legem fuisset commissura. Præceptum est, *Omnis anima potestatibus sublimioribus esto subjecta.* Verbum illud, Omnis anima, nihil excludit. Certe Chrysostomus Apostolos, Euangelistas, Prophetas includit. Sed & quæ à nobis dicta sunt inconcussa autoritate ac momento firmant complura. Omnium loco esto, quod non sit potestas, nisi à Deo: id est, à contrario sensu, quod omnis potestas origine sit à Deo, & quidem privative & immediate. Esto & alterum, quod *quæ sunt potestates, sunt à Deo ordinatæ.* Ordinationis adjicitur ex præmissis effectus, quod *qui potestati resistit*, idem *divinæ etiam ordinationi resistat.* Iungamus, quod & hoc ipsum adeo profundas radices egerit, ut in ipsam naturam receptum transmissumque sit. Generale societatis humanæ pactum obedire Regibus suis, præclare alibi dicitur. Quovis modo se gentibus à Deo Regem datum Imperator Iustinianus edicit, loco non uno. Illo posterior Fridericus, se divina præordinante clementia, Regiæ majestatis solium conscendisse. Horum effatis tot adglomerare testimonia idem statuentia in proclivi sit, quot verba huc usque fecimus: sed ad tuendam veritatem scribo, non ad pompam.

CAP. II.

Summæ poteſtatis originem non recte ad populum referri.



Actum hoc vertigine rerum humanarum, ut divulſis animis, aut nunc horum, nunc illorum ſtudiis in contraria nitentibus, & mutata cum rebus temporum ſecta, contrariam opinionem pro vera obtrudere nonnulli ſint conati; populumque ipſum Rege ſuperiorem ſtatuerint, quæ de immediata conſtitutione dicta ſunt ad mediatam detorquentes. Hi ergo hoc agunt, ut perſuadeant,populi eo fortiora jura eſſe,quod ſit ipſe populus antiquior Rege, & propter populum creatus Rex, non vero populus propter Regem. At eſt utrumque hoc falſum. Voluit Deus eſſe ſuos imperandi, eſſe parendi gradus. Huc ſpectet illud,*Dives & pauper ſibi invicem occurrunt, efficiente utrumque Domino.* Nec non & hoc, *Eſt altus alto ſuperior,eſt altiſſimus ſuper illos.* Sed non eſt id circo, ut hic priorem exſtitiſſe dominũ ſubdito negemus,patrem liberis. Certius nihil,quam intentione Dei creatoris, & creatarum à ſe rerum conſervatoris, prius exſtitiſſe imperium,quam ea producerentur circa quę imperium ſe exſereret. Eſt in imperio quid integrum: in obſequio, quod non niſi applicatione facta aut relatione, partem integri conſtituat. Hæc auté & ſimilia,non ab execútione,ſed à propoſito & intentione agentis dimetiri æquum eſt. Antiquius

tiquius est omne instrumentum eo quod exstruitur; partes domus ipsa domo priores sunt. At tamen est partibus suis totum prius. Finis media proponit quidem sibi, sed interim mediis prior. Esset cum ratione insanire velle, si quis dicendum sibi putaret, non esse finem præstantiorem mediis: sitque vecors, qui in fonte bonorum Deo figuret alium creationis finem, quam qui præstantissimus. Media fini consequendo ponamus apta, consona, non nisi bona; non tamen ideo finis ipsius præstantiam excedent: neque ipsum finem sic inducent, atque obliterabunt, ut intentio exsecutioni decedere cogatur, tanquam de sublimiori gradu deturbata. Quod in intentione jam nunc præconceptum est, ipsa sui potentia, conceptum quatenus est, consistit, quod intentioni jam formatæ famulaturum in actum deducitur, re vera atque ipso facto exstare intentionem, cui subserviat, demonstrat. Novum porro non est, ut nuda potentia dominus quis sit, qui non sit potestate aut actu. Sic, patre prægnante uxore è vivis sublato, uteri materni sarcina, lucis etiamnum expers, jam tum suus est hæres, jam tum dominus: ipso jure hæreditaria cæterorum cohæredum jura turbat, testamenti tabulas rumpit. Hinc facile videre est, nugas meras esse quæ de creato propter populum Rege adferuntur. Sed enimvero hoc qui sibi defendendum suscipiunt, mediatam sibi quandam creationem figurant: qua data satis valide ipsorum argumentum procedit; namque si creatur à populo Rex, est Rege antiquior populus, ut creator sua creatura. si ideò populus Regem creat, ut Regem habeat tanquam finem suum, nimirum

ut Rex eat ad populi perfectionem (ut certe vix aliud est Regia potestas recte introspecta, recte adgubernata, quam cura salutis alienæ,) consequens est, creari Regem pro. pter populum, sed non vice versa. At in eo totum hæret tanquam in centro suo, quod mediata illa creatio, originem ipsam si spectemus (ut est de ea nobis sermo) figmentum cerebrinum sit; immediata, ipsum Dei effatum, ipsum factum, ipsa demonstratio, tot enunciationibus sancita, tot iterationibus firmata; libera, in omnes personas, rerum, temporum articulos diffusa, non arctata, non arctanda. Facere mediatæ tali creationi locum qui volet, aut eandem dicat cum immediata & concurrentem, aut diversam. Si posterius ponit, impius in Deum sit, & à causa prima, ad remotiorem, vesanos cerebri æstus protrudat: sin prius, involet in Dei jura, & quæ liberum Deo per quæcumque instrumenta expedire, arctet ad populi voluntatem. Multis quidem quod humana ordinatio dicitur Divo Petro Magistratus, in argumentum cessit, sed enerve illud, dum non vident, obedientiæ præceptum ibi inculcari. Est Magistratus Dei minister, sed qui vice Dei subditos curet, & eorum salutem summam: est Magistratus Dei ordinatio, ordinatus non ab homine, sed à Deo in bonum subditorum: ergo non in suum bonum ordinatus, sed in commune, in bonum quod in omnes diffundatur, universale, projectum. Si Dei ordinatio est, hominum non est. porro qua Dei ordinatio humana Magistratus est, pro sancto prudentiæ, misericordiæ, justitiæ beneplacito, non substernit humanis imperiis obsequia piorum Apostolus, sed ordinationi

tioni divinæ. Quod satis per se evincunt illa sequentia verba, *propter conscientiam Dei*, scilicet Dei volentis ita fieri. alias quævis humana ordinatio aut constitutio, si talem, qualis fingitur, vult Petrus, humanam conscientiam ad summum sit ut liget; at vero conscientiam Dei ut involvat, & ad se trahat momento sui, id demum quovis absurdo absurdius putem. Quoquo modo rem sumamus, ex hoc loco nihil tale elicitur. Totum circa obedientiam, ut dicebam, versatur. Obedientiam commendat Apostolus Paulus, non modo propter iram, sed & propter conscientiam. Perinde & Petrus non tantum propter conscientiam simpliciter, sed disertim, propter conscientiam Dei, nempe ut religio sit Deum offendere, cujus voluntate intelligas tibi hanc impositam esse parendi necessitatem. Ex quo ipso facile intelligere est, si quis velit, ipsum etiam Regem sub humana illa ordinatione contineri, & si nonnulli negant, humanam eam dici, non quod ab hominibus excogitata, sed quod inter hommes ab ipso Deo constituta sit civilis gubernatio, ut recte ab interpretibus nonnullis observatum est, vel sane, ut & ipsa vox ἀνθρωπίνη judicat, quod ea sit humanæ tantum naturæ conveniens. Concludo igitur, Regum absolute summam, nulli obnoxiam, uno Deo excepto, potestatem, immediate esse ab ipso Deo: proinde quoque immediate ab ipso Deo, omni humana ordinatione exclusa, originem illius arcessi debere.

CAP. III.

Majestas quid, & quomodo ei competant proxime dicta.

POtestati absolute summæ, prælusere velut, potestas patria & herilis, idque eadem & parili ubique ratione. Exordium ei factum est ab imperio ipso, ut pote quod in se esset præstantissimum, atque ob id ipsum primum in intentione Dei, ad quem omnia imperia sese ut autorem suum referunt. Vetustissimum est illud Poëtæ,

Dat conjugibus jus
Quisque suis natisque.

Maritus quippe ac pater uxori ac liberis, servis dominus præcipit, sed suo quaquaversum imperandi modo servato. Non est quidem ubique personarum eadem conditio, aut idem status, neque etiam eadem ratio imperandi, sed imperatur tamen ab imperante pro jure quod habet, quod est suo jure. Frustra sit qui uxorem marito, filium patri, servum domino id juris contulisse nugetur. Quæ contulit summa ratio fuit, naturalis in universi, conservationem intenta, ab omnium gubernatore & proreta Deo, ut rerum omnium principio fluens, ad eundem refluens, ab ipso ut à principio motus sui nullo modo aut pacto revellenda. Quo non obscure spectet illud Halicarnassæi Dionysii, edicentis universalia ac sem-

ſempiterna naturæ lege receptum eſſe, ut præſtantioribus inferiores obediant. Familiarum aucto numero, propagato illo, per vicos, pagos, civitates, & iis ſimilia cohabitantium corpora, politicum imperium manuducente, quam dixi, natura exſurrexit. Vt ergo familiam recte tuendi ac conſervandi cauſſa, uxoris liberorum, ſervorum caput ac præfectum oportuit patrem familias, abſque quo ut bene beateque ageret ne quidem ſperari poterat: ita pluribus familiarum patribus in unum corpus familias ſuas, (deductas illas velut à familiarum principe colonias,) coagmentantibus, neceſſe fuit jam non ultra in unius familiæ conſervationem intentis, ſed omnium curam habentibus, ut familiarum patres quoque ipſi commune corpus conſtituerent, quod communi omnium ſaluti ex æquo invigilaret; aut ſi quem inter ſe unum tam eximia virtute præditum viderent, ut comparatione inſtituta de illo pronunciari poſſet quod de Fabio Ennius.

Ille ſapit ſolus, reliqui volitant velut umbræ

conſultiſſimum fuit ut decederent compertiſſimæ virtuti, & ſe ſuoſque illi regendos ultro permitterent.

Hinc infertur primævum illud imperii genus, aut unum corpore fuiſſe, aut unum perſona, at à principio jam tum fuiſſe ſummum in ſe, atque abſolutum. Eam abſolute ſummam poteſtatem nihil intercedit quo minus Majeſtatem vocemus, tanquam majorem ſtatum, auguſtioremque illum, & cæteros amplitudinis ſuæ ſplendore obſcurantem. Denuo infertur, eandem illam Majeſtatem, in ſe, ac ſui principio, non aliter attendi poſſe, quam eximium

eximium aliquod Dei munus, absque quo, conservare se ac tueri non potuerit communio civilis. Vtque crassiore distinctionis filo, natura naturata respectu Dei, quem naturam naturantem appellant, radius est naturæ naturantis, à qua ne transversum unguem decedat; ita primo geniæ illius Majestatis sive absolutæ potestatis, inter genus humanum constitutæ receptæque conditio, eadem, plane fuit, quæ illius, quam immediate à Deo manasse, demonstratum est. Illum voluntas Dei absoluta, fecit absolutam toti humano generi. Simile est, quod *cap.* 18. *verſ.* 17. Siracidæ dicitur, *In quamque gentem præpositum fuisse à Deo Rectorem.* Hanc, patrum familiarum conventus, consensus, libera voluntas, absolutam primo in familias in unum coactas exercuit, mox, & in se ab uno exerceri vidit, cujus se eminentiori virtuti gubernandos permiserat. Deo lex poni non potuit, quo minus ita disponeret. Patribus familias liberum pro se familiaque sua cuique fuit, parietibus unius domus non claudendas stirpes, jam tum propagatas, & in ulteriores gradus successu perpete porro prorogandas, in indivulsam quoque unitatem cogere, coactas vel per se gubernare, vel se suosque uni gubernandos relinquere. Qui respectus est Dei erga genus humanum, plane idem respectus est singulorum patrum familias, ratione familiarum suarum. Singulorum quidem primo & privatim, sed mox omnium simul & conjunctim: dum nimirum pro virili quisque regimen paternum atque herile cum politico idem facit, aut unius politicæ gubernationi, & singuli pro se, & conjunctim omnes acquiescunt.

Ratio-

Ratione patris familias, quum considerentur ut subditi (quanquam, quod ultra non repeto, suo modo) uxor, liberi, famuli, clientes, nepotes, cæteræque partes domus, nemo neget. Posito regimine politico idem dicendum est: nimirum quod tam & eorum familias patrum, penes quos in omnia regimen, quam ejus, cui illis volentibus imperium cessit, intuitu, omnia, & singula subdita sint atque obnoxia; quin & ipsi etiam ex illo familiarum patres qui antea domini fuerant, & in illum translato Dominii jure illi se regendos addixerunt. Consit, ut potestas hæc talis, cui delatum ac decessum, fuerit potestas absolute summa, nulli obnoxia. Constat insuper potestatem istam talem perstare, nisi factum aliquod externum interveniat; idque cum sui natura, tum quod ei semel constitutæ, subditis sese subducere nefas sit: Ex eo quod antea voluntatis fuerat, necesse factum est, & nulla novatione revocandum.

CAP. IV.

Quæ sint essentialia Majestatis.

Patet ex jam dictis, sufficere ut sit potestas absolute summa. Quod ergo dicitur potestas nulli obnoxia, eo collimat, ut omnem externam, sive directivam illam, sive coercitivam vim, ab ipsa atque illius naturali conditione ac statu procul habeat. Cum ergo dici-

tur quod sit, ponitur quid in se perfectum, ut pote quod in se stet ac subsistat, quod se ipsum absolvat, ac determinet, quod denique ipsum sit, seque impleat, totum sui. Ergo nihil aliud de majestate, qua majestate, id est, de potestate absoluta, prædicari potest valentius, quam id ipsum, quod sit. Quid vero sit, quid possit, quanta sit illius dignitas, tam ex eis eluceat, quæ in ipsam non cadunt; (qualia sunt alterius ope non egere, in altero tanquam in subjecto suo non subsistere, regi à nullo exteriore, nulli juri aut vi agere obnoxiam, nulli se ferre precariam:) quam quæ cadunt; qualia sunt regimen in omnia, pro jure suo, & quæ his similia sunt. Ergo hæc in se collecta stat, majus aut minus non admittit, omni lege major, nullo limite circumscripta, nullis temporum spatiis arctata. Quæ enim ad tempus (ut obiter hoc notem) olim dictaturæ sumebantur, ut ut absoluta potestate præditæ, deposito propiores erant, & ponendi legibus submissæ. Quod in universo Deus, in corpore anima, id in imperio majestas est. Hic superiorem non habet, item nec illa: hic libere agit, parem non agnoscit; eadem de majestate recte dicantur. Vt secundum Poëtam de Deo rectus sensus est.

Illum nempe ire per omnes
Terrasque, tractusque maris, cælumque profundum;

ut secundum nonnullorum dogma tota anima est in toto corpore, tota in singulis partibus: itidem & majestas; in sibi subdita, in omnia, se infert, influit, se figit, ac solido stat. Ens individuum quid est: individuum quid

maje-

majeſtas, eoque nec dividi poteſt; & ſacra cum ſit nulla communione cum altero profanari. Summo non aliud ſummum. Majeſtatem quæ egrediatur ſuperior majeſtas non eſt, priore aſſerta. Sed hæc & his ſimilia illuſtrare ſi contendas aut annitare, verius obſcures. Claudam verbis non meis, Recte ſummum imperium coronæ comparari, atque illius imagine pingi ſolere. Eſt ea utriuſque natura, ut parte amiſſa, etiam ſubſtantiam amittat. De præcipiti loco qui cadit, in medio non hæret, de ſummo fertur in ſubjecta. Facit huc vulgatum illud Στέφανον μὴ δρέπτειν, Coronam ne carpſeris.

CAP. V.

De Majeſtatis ſumma poteſtate circa res perſonaſque Eccleſiaſticas.

Dubium non eſt, quin à nobis hactenus dicta qui legerit omnino ea latiſſime exporrigi agnoſcat; præſertim cum ad Eccleſiaſticas etiam cum rebus perſonas, nec non ad vim & poteſtatem ipſam legum, quarum tamen nos omnes ſervi ſumus, ut ſimus liberi, ad totum denique populum, ſic à nobis extendantur, ut nullam prætendere poſſe videantur vel Eccleſiaſtici exemptionem; ut legibus derogari videatur; ut denique totus quantus quantus eſt populus, nullum quovis obtentu jus habere integrum poſſit; ſeſe ſi vel extrema inciderit

C 2 neceſſi-

necessitas in libertatem asserendi. Quoniam vero circa hæc ipsa non una omnibus mens,quid rationi, quid juri, quid veritati consentaneum sit, expendamus.

Ac primo quidem, non putem quempiam,cui modo cor sapiat repertum iri, qui summæ potestatis jus in personas ac res Ecclesiasticorum neget extendi: si qui sint jamdudum eos redarguit Leo. I. sua ad Leonem Augustum epistola. Sic ille: *Si principum nihil interest rerum sacrarum, cur de negotiis Ecclesiasticis in Codice, in Novellis, in Authenticis tot Augustæ leges, atque constitutiones, tot in nostris & in omnium Christianorum Annalibus edicta Regia, tot denique Senatusconsulta?* Recte sane: cum enim Mosen Aaroni Deum constituit Deus, disertim testatus est, velle se à Summis potestatibus Ecclesiasticos & regi, & defendi. Huc spectent illa ejusdem ad Marcianum, fatentis ad hoc electum à Deo Imperatorem, ut fides catholica ab insidiis inimicorum defenderetur: addit, *Ad Imperatoris enim & ad omnium salutem pertinet, ut Dei cultus nullo errore lædatur.* Ejusdem est. *Quod res humanæ tutæ esse non possint, nisi quæ ad divinam confessionem pertinent, & Regia & sacerdotalis defendat autoritas.* Cum Regem indefinite atque universaliter præposuit Deus, etiam indifinitam atque universalem ab eo reddendam sibi rationem administratorum fore demonstravit: cui rationi si personas ac res Ecclesiasticas exemptas volumus, frustra simus. Generale quod est apud autorem Epistolæ ad Ebræos obedientiæ præceptum, & hanc quoque rationem includit. *Obedite*, inquit ille, *præpositis vestris, & ijs subjacete, ji enim pervigilant quasi ratio-*

rationem reddituri pro animabus vestris. Sed & hoc quoque certissimum, neque naturam, neque qui autor naturæ est, Deum in necessariis deficere; id vero necessarium, nisi etiam in ecclesiastica se exporrigat potestas civilis. neque enim fieri potest, ut ecclesiastica disciplina, in iis, quæ non sunt mere ecclesiastica, eaque absolute ad ecclesiam ipsam, atque ordinem & regimen ecclesiasticum spectantia, absque adjumento summarum potestatum satis munita sit, aut sese tueatur. Ergo quod effectum dare nequeunt sacerdotes per suos sermones, hoc terrore sui summæ ut faciant potestates conveniens est, quo per terrenum regnum cœleste proficiat, quique intra ecclesiam positi, contra ejus fidem agunt, vigore Magistratuum conterantur; & quam Ecclesiæ autoritas exercere disciplinam minus valet, cervicibus superborum principalis potestas imponat. Quo tandem spectat, quod communis Christianorum consensus summas potestates esse fateatur utriusque tabulæ custodes, neque ad illas duntaxat secundam, quæ proximum, sed primam quoque, quæ Deum atque ecclesiam Dei spectat pertinere. Vt disertim loquamur de ipsis personis ac rebus ecclesiasticorum, ita est: Potestas summa circa personas ac res ecclesiasticas fundatur in dictis Apostoli citatis cap. 1. nempe, *Omnis anima subjecta esto potestatibus sublimioribus.* At non est hac potestate altera sublimior, ac sunt Ecclesiasticæ personæ hic comprehensæ sub verbo omnis: quod verbum nullam quarumcunque demum libet personarum exceptionem admittit. Omitto huc facientia quæ primo capite jam nunc

exhibui. Bernardum addam Chrysostomo superius citato, cujus hoc rotundum effatum est, *si omnis anima, & vestra: quis vos excipit ab universitate? si quis tentat excipere tentat decipere.* Mosen, ut jam dici cœptum est, Aaroni nunquam subjecit, sed ei Deum esse voluit. Prorsus ut Aaroni nullum jus superioritatis concesserit in Mosen, sed eum illi subjecerit. Ergo quoque ut legere est in sacris, Aaronem Moses pro jure imperii super ipsum quod habeat, peccati redarguit, corripuit. Vnum imperii corpus unius anima recte animari ac regi monstrat ipsa veritas. Ei desolationem regno indubie instare Dei filius edicit, quod sit in se divisum. At non est terrior divisio ulla, aut major divulsio quam si, scissa unitate, altare contra altare erigatur; respublica in republica, aut contra ipsam adeoque rempublicam constituatur. Hoc procul dubio vitari non potest, si intra ipsa status penitissima viscera, receptum imus mortalium nescio quos, quos leges illius in quo vivunt ac sustentantur status, nullo nexu sibi habeant mancipatos. Non potest magis præsentaneum infundi venenum immediatæ Dei ordinationi, à nobis huc usque assertæ, quam si elusa illa pedibusque protrita, hominum sublestas machinationes, supra Deum ipsum attollimus. Apage ergo omnem ecclesiasticorum, quales quales sint, exemptionem, qui neque qua hommes, neque qua incolæ, neque qua cives, eam ulla ratione tueantur. nam ordinis qualitatem sen characterem, quo se jactant aliqui, prætereo. Nihil æque indubium est, quam eam quæ debetur summæ potestati, sub qua vivimus, obedientiam esse juris divini.

ni. æque indubium est eandem illam qua talis est nunquam esse consilii, sed verius præcepti; & quidem istiusmodi quod insuper habitum horrendas sibi pœnas in comitatum trahat. Si personæ ecclesiasticæ Regis sui summæ potestati se subducere possint pro libitu, cum tamen subditos eos esse negari non possit, etiam impune divinum jus abolebunt: quod absurdum. Habet (natura ipsa sic dictante) in se moralem bonitatem, obedientia: habet in se moralem turpitudinem, ab ejus imperio defectio, cui quem divina potentia obedire jussit. Contraria his molientes, non est quin merito dicantur supremis potestatibus non minus quam ipsi Deo ac naturæ, lymphato prorsus ac Titanico conatu, bellum inferre. Proximum à naturali jure est jus gentium. *Ex hoc jure*, ut noster ait Hermogenianus, *introducta bella, regna condita, discretæ gentes, dominia distincta, agris termini positi*, & quæ sequuntur. Non effugiat ergo hanc notam homo ecclesiasticus, quod subditus cum sit, sive nascendi sorte, sive electione, adscriptione, incolatu, aut quocunque demum modo, sibi conditionem subditi aut qualitatem status mutet; idque post condita regna, post discretas gentes, nec non in superioris, veri atque incunctabilis domini sui, præjudicium ac vilipendium. Iura civilia quoque non est ut attingamus. Hæc omnino istiusmodi homines temerario nixu ut impugnent necesse est, si quidem Imperatorum leges, personas ac res ecclesiasticas concernentes non admittant, aut tanquam alterius fori & ad se non pertinentes à se eant amolitum. At hoc qui

aulit

ausit nemo reperiatur, qui non etiam historicæ veritati ex professo obluctetur, quod latius hoc ipso capite exsequemur, ubi ostensuri sumus, eam fuisse à primis sæculis vel ad Iustiniani Imperatoris nostri tempora sententiam, à qua nec diversi abjerunt qui inde retro à Iustiniani temporibus vixerunt. Idem dicendum de ordine politico, quem non leviter turbent & evertant adscititio hoc, ad exstruendam sibi exemptionem, vel ordinis ipsius quem obtendunt mangonio. Certum est, inseri omnes & singulos Reipublicæ cives ipsi ecclesiæ per baptismi sacramentum. at certum æque, non eximi per ullum ecclesiæ sacramentum ab obedientia quam debeant Magistratui; nisi quis somniet ordinem hunc seu humanitus seu divinitus institutum ad evertenda & pessumdanda ipsius Dei mandata valere posse. Omnino non est, ut hoc tam levidensi ac vere ficulneo obtegumento summarum potestatum imperio se quis subtrahat. Ordinis porro politici præcipuum leges sunt, legum anima Magistratus. at si neque leges admittant, neque exsecutiones earum; nemo non videat, quorsum hæc tendant. Sed transeo hoc levi brachio ut jam ante cæptum tangi. Vnum modo superaddam, quod & hoc pacto ipsa judiciorum Majestas proteratur. Qua certè in re ipsum sibi Apostolum contrarium habeant, qui & in judicio se defendit, non alia utique de causa, quam quod & illum judicem, & se subditum nosset: ait ergo, *Ex multis annis te judicem esse huic genti sciens, bono animo pro me satisfaciam.* Defensionis summa est, Se neque in legem, neque in templum, neque in Cæsarem peccasse. Idem Apostolus

lus ad ipſum Cæſarem provocavit, & beneficio civitatis Romanæ uſus fuit: tantum ab eſt, ut ſeſe exemptum à ſæculari juriſdictione aut crediderit, aut haberi voluerit. Vidit & Petrus injecta collo brachia libero: ſed exemptioni nulli innixus fuit, qua ſe, aut poſteros ſuos, tam diræ ſubduceret tempeſtati. Ille omnium magiſter ac Dominus, carceri mancipandos, compedibus includendos, coram tribunali ſiſtendos cum prædixit, non ut exemptioni ſuæ freti ſecuri agerent juſſit; ſed ut innixi præſentaneo, qui ſuis ubique præſto eſt, Dei auxilio, non meditarentur quæſitos ullos ſermones. ipſorum quippe in ora ſponte ingeſtum iri, quod loquerentur. Hoc ille qui ſuis; qui Petro ſuo diſertim & dixerat, & claves regni cœlorum commiſerat, in ſe ipſo, ut jam dictum, probavit, & poteſtatem illam ſæculari judici, ſe innoxium, etiam in ignominioſiſſimam, Deoque exſecratam mortem deruendi divinitus ac ſuperne datam eſſe profeſſus eſt; abſque hoc longe & illam & quæcunque hujuſmodi ſit, poteſtatem fore. Non tuliſſet inſolentiam verborum Pilati interrogantis, *An neſcis quod habeam poteſtatem crucifigere te, & habeo poteſtatem dimittere te?* Si petendum ab hac exemptione præſidium putaſſet, utique petiiſſet. At ſciebat quæ jam ante docuiſſet, & quæ illo ipſo momento doceret, exemplo ſanctiſſimo, omnibus imitando. Eadem fuit mens Petro, qui non ad cives, laicos, extra eccleſiam conſtitutos, ſed ad genus electum, ad ſacerdotium regium, ad populum ſanctum, ad cœtum redemptum ſcripſit, *Subjecti eſtote omni humanæ ordinationi.* Videat quivis aut neceſſe eſſe, ut in malam rem

 open-

obtenſa illa clericorum faceſſat exemptio, aut ut exemptos qui ſe volent in Petrum ipſum ſive κακοδοξίας ſive ἑτεροδοξίας crimen impingant. Scire interim deberent, quum Petrum hunc ſibi patronum habere affectant, quod non ſit diſcipulus ſupra Magiſtrum, neque ſervus ſupra Dominum. Niſi & forte deceptus eſt Salvator noſter, cum iſta eſt elocutus, niſi & forte manifeſtario erravit, cum audientibus diſcipulis, quæ Cæſaris eſſent, Cæſari reddenda pronunciavit. Accedit, quod non modo tota & in totum proteratur Majeſtas judiciorum, ſed etiam illis in partibus, ſine quibus, nedum ſubſiſtere, aut ſe tueri poſſit. Redduntur in invitos judicia: at ſi Eccleſiaſtici nolint, judiciorum vigor, & in medio conſtituta juris publici tutela fruſtra erunt. Nequicquam judex ſe torqueat, niſi malum quærit, etiam ab exemptorum, ſi dis placet, ordine, anathemate feriendus. Iudiciorum præcipuum eſt æqualiter circa omnes explicari; cives dum ſunt, dum homines æque atque alii, dumque nec minus ſubditi, non poſſunt non cenſeri æqua cum omnibus lege. At nedum ut æqualem admittant, omnem reſpuunt, nullam non averſantur. Neque etiam illud quod inter præcipua juſtitiæ locatur, ſuum cuique tribuere, hic eſt ut pedem figat. Vt ait ille, & recte,

Adſit
Regula peccatis quæ pœnas irroget æquas,
Nec ſcutica dignum horribili inſectere flagello.

Si ſubjectioni ſæculari Eccleſiaſticos placet ſubtractos, ſi delinquentes Eccleſiaſtico permittimus cœtui. quid fiet? ut

ut est text. m. c. cum non Extra. de Iud. *Clericus in furto, vel homicidio, vel perjurio, vel alio crimine deprahensus ab* Ecclesiastico *judice deponendus est: qui si depositus incorrigibilis fuerit, excommunicari debet, deinde contumacia crescente, anathematis mucrone feriri. Postmodum vero si in profundum malorum veniens, contemserit, quum Ecclesia non habeat ultra quod faciat, per secularem comprimendus est potestatem: ita quod ei deputetur exilium, vel aliqua legitima pœna imponatur.* Decretorius vero ille stylus, omnino is est, ad quem non devenitur, nisi casu quo hæreticus aut relapsus sit. c. ad abol. X. de Hæret. vel in proprium Episcopum conjuraverit Can. Si quis facer. 11. quæst. 1. vel. si falsum commiserit in literis Apostolicis. Can. ad. falsur. X. de crim. fals. At in Regem conjuret, sicarios excitet, animet, armet in unctos Dei, ipse sicarius sit, ipse parricida, uni ruinæ omnia pro se involvat, erit latere tecto, pœnas & suppliciorum piamenta ridebit, & tanquam infra se posita ex sublimi despiciet, ac ut ad se non valentia penetrare, etiam exsibilabit. Est interim non punire, aut non inferre parem atrocitati criminis pœnam, unnm idemque. Fremant reges, frendant, ringantur, statim audient, *Non habet ultra Ecclesia quod faciat*. His vero etiam missis, operæ erit videre, quæ priscis Christianis, purioris ævi traducibus, steterit circa hanc Ecclesiasticorum exemptionem sententia. Quo loco Christiani habiti facerit temporibus Tertulliani, nemo ignorat, vocabantur *omnium scelerum*, verba ipsius sunt, *rei, Deorum* Imp*eratorum, legum, morum, naturæ totius inimici.* Si *Tiberis ascendisset in mœnia, si*

Nilus non ascendisset in arva, si stetisset cœlum, si terra movisset, si fames, si lues: ilicet omnis in Christianos faba cudebatur. Vbi nunc exemptio? dormit. Non alia justior, non alia major occasio erat asserendi, se, & exemtos ferendi à potestate sæculari. Si quod ullum, tum sane tempus erat si quam tuebantur exemptionem sanguinis etiam profluvio sanciendi, vel absque hoc morituris & jugulum præbituris. Sed nihil minus factum. *Quod attinet ad honores Regum & Principum, satis*, inquit, *præscritum habemus in omni obsequio nos esse oportere, secundum Apostoli præceptum, subditos Magistratibus, & Principibus, & potestatibus*. Idem in Apologetico adversum gentes, dominationem hanc illorum esse sive damnationem, civilem, non tyrannicam profitetur. Aggerare huc multa ex eodem Tertulliano, Cypriano, Arnobio, Theodoreto, Theophylacto, Oecumenio, Iustino, Minutii Felicis Octavio, aliisque ut ut possim, non libet. Obvia sunt. cui otium est, quærat, operam non ludet. Pergamus. Trecentis ab excessu Salvatoris nostri annis involverunt Christianos novem quam horrendæ persecutiones: (unica quæ sub Diocletiano, triginta dierum plus minus nus spatio septendecim ipsorum millia hansisse perhibetur.) Eædem Romanos aliquot Episcopos quos matyrii coronam adeptos Ecclesiastici annales testantur, in idem exitium secum traxere. At non meminere ulli annales eorum Episcoporum quemquã, aut de sua, aut Ecclesiasticorum exemptione vel per somnii umbrã quippiam ad posteros transmisisse. At vero ut communi Ecclesiæ bono potestates summæ temporalem potestatem explicarent

rent ac tutarentur ab ipsis ecclesiasticis quæsitissimas per preces adnixum fuisse multoties constat. Insignis ad hoc locus est ejus quem sub initium capitis hujus citabamus Leonis I. pariter citata jam nunc ad Leonem Augustum Epistola. *Debes incunctanter advertere, Regiam potestatem non solum ad mundi regimen sed vel maxime ad Ecclesiæ præsidium esse collatam, ut ausus nefarios comprimendo, & quæ bene sunt statuta defendas, & veram pacem his quæ sunt turbata restituas; depellendo scilicet perversores juris alieni, & antiquæ fidei, sedem Alexandrinam reformando, ut correctionibus tuis Dei iracundia mitigata, Regiæ civitati quæ antea admissa sunt remittat, non retribuat. Constitue ante oculos cordis tui, Venerabilis Imperator, omnes qui per totum orbem sunt Domini sacerdotes, pro ea tibi fide, in qua totius mundi est redemptio, tibi supplicantes. In qua re specialius ambiunt*, & quæ sequuntur. Sub quo primum eluctari & se attollere cœpit Ecclesia, auctior munificentia principum, & in spiritus majores quam pro decoro assurgens, fuit Imperator Constantinus. Sed ne tum quidem de exemptione somniatum. Præsidem Nicæna Synodus habuit Constantinum, ei libellos supplices à patribus porrectos liquet: ipsum Imp. Constantinum de plano jura petentibus iisdem dedisse, certum est. Notat Ecclesiastica Historia, maximam Concilii partem verbis illius obtemperasse, & mutuam concordiam, doctrinamque sanam fuisse amplexam: Theodoret. Hist. Eccles. lib. 1. c. 7. Idem de se Constantinus, in hanc rem, apud eundem Theodoretum; *Erga istos ingratos aliquod supplicium censui statuendum, & propterea mandatum dedi, ut à suis subrepti sedibus quam longissi-*

me relegarentur. lib. 1.c. 18. Nec omittendum, quod idem cap. insequenti, nempe 19. dicti libri exemplum suppeditat in Constantino, Episcopis ut Tyrum convenirent jubente. His Imperator verbis utitur; *Quod si quis nostrum mandatum etiam jam callide rejicere studens, recuset ad concilium adventare; hinc à nobis aliquis mittetur, qui eum Regio mandato, de sua dignitate deiiciat, doceatque non decere quenquam decisionibus Imperatoris pro veritate editis adversari.* Cui illud quoque consonum, quod de eodem Constantino Eusebius attestatur. Quod Ecclesiæ Dei peculiarem sollicitudinem impartiens, cum per varia loca exorirentur dissensiones inter Episcopos, *ipse* (notentur verba) *ceu communis Episcopus à Deo constitutus ministrorum Dei indicebat conventum.* His simus contenti, Sin vero etiam Iustinianæum Codicem excussum imus, videre est, Valentinianum, Valentent. & Gratian. A. A. antistitem, qui sanctitatem baptismatis illicita geminatione usurpaverit, sacerdotio indignum esse censuisse lib. 1. C. ne Sanctum baptisma iteretur. Offert se titulus de Episcopali non jurisdictione, (est enim ea imperium seu potestas de publico introducta, cum necessitate juris dicendi, & æquitatis introducendæ, qualis quidem in Episcopos non cadit) sed de Episcopali duntaxat audientia, quæ, & cur, & qua forma, & quo modo concessa sit, ex dicto titulo satis claret. Hac ipsa si væcordes turgescunt indulgentia, consulant l. l. adductas C. eod. tit. ubi disertim Impp. Arcadius & Honorius, *Si tanta clericorum aut Monachorum est audacia, ut bellum potius, quam judicium futurum existimetur ad clementiam nostram*

noſtram commiſſa referantur, ut arbitrio noſtro mox ſeverior ultio procedat. Quæ in Chalcedonenſi concilio fuere decreta, Marcianus Imperatorem ait ſtatuta fuiſſe per imperatoria (noſtra enim ait) præcepta; quæ nolit in diſceptationem trahi. Sequuntur verba textus: *Si clericus ſit, qui tractare publice de Religione auſus fuerit, à conſortio clericorum removebitur.* L. Nemo clericus C. de ſumma Trinitate. Evidentiſſimum teſtimonium eſt, non alio ſubjectionis gradu Eccleſiaſticos habitos fuiſſe, quam cæteros ſubditos, quod pari mulcta utrique provocantes à cauſſa præparatoria, non lædente cauſſam principalem afficiantur. Textus eſt, de Laicis aut Sæcularibus, in l. ab exſecutione C. quorum appell. non recip. de clericis ſive Eccleſiaſticis in l. Si clericus C. de Epiſc. audient. Vbi totidem verbis textus; *Si clericus ante definitivam ſententiam fruſtrotoriæ dilationis cauſa, ad appellationis auxilium convolaverit, mulctam quinquaginta librarum argenti, quam contra hujuſmodi appellatores ſanctio generalis imponit, cogatur perſolvere.* Dum vero in manibus Codex Iuſtinianeus, perperam Iuſtinianum ipſum omittimus. Sic ille Novellam 137. orditur. *Si civiles leges, quarum poteſtatem nobis Deus ſua in homines benignitate credidit, firmas ab omnibus cuſtodiri, ad obedientium ſalutem ſtudemus; quanto plus ſtudii adhibere debemus, circa Sanctorum Canonum & divinarum legum coſtodiam?* At qualis illa cuſtodia? ſua ſe juriſdictione in Eccleſiaſticas perſonas ſuſtentans. Teſtem cieo L. 33. C. de Epiſc. & Cler. Vbi. Imperator, aſſertor & hic illius, indubie quod habet juris, omni-

omnibus qui sunt, & posthac futuri sunt, orthodoxæ fidei sacerdotibus, & clericis cujuscumque gradus sint, & monachis judices ordinarios assignat; præsides provinciarum. Non quidem eo inficias, liberum fuisse etiam instante judicio, caussam ad Episcopum evocare, quod pro magno exemptionis fundamento jurisdictionis, quæ Episcopis competat nonnulli habent: sed repono, probatum non iri, necessitatis id fuisse, aut eo quempiam adigi potuisse, ac constringi: quo cessante, necesse est eorum ex tribu ut sit, quæ liberé fiunt; cujusmodi actus I. C. indigetant actus meræ facultatis. Tantum abest, ut ibi locus sit judicio, quod in invitum reddatur. Expressim textus L. 8. C. de Episc. Aud. sic habet; *Si qui ex consensu apud sacræ legis antistitem litigare voluerint, non vetabuntur*. Proinde non hoc exemptioni deputandum, sed prorogationi, non jurisdictioni Episcopi, quam habeat privatim, aut privative, sed quam modo ex recipioco ligantium nanscifcatur consensu. Novum hic nihil, aut à dispositione Iuris communis alienum. *Si se subjiciant aliqui jurisdictioni & consentiant*, I. C. Vlpian. in l. 1. ff. de Iudiciis *inter consentientes, cujus vis judicis qui tribunali præest, vel aliam Iurisdictionem habet est jurisdictio*. Quo vero nemo hæc aliunde applicata, neget ita esse, stet pro omni decisione Sancitum Imperatoris nostri. Sic ille in L. Sancimus d. tit. de Episc. Aud. *Si civilium rerum controversia sit, volentes quæstionem apud antistites instituere patiemur, invitos tamen non cogemus*. Sin & autoritati quid deferendum, & Ecclesiasticæ personæ, & magni nominis antistites fuere Augustinus, Bernardus, Thomas; Hipponensis,

Claro-

Clarovallensis, de Aquino. Primus ille in expositione quarundam propositionum Epistolæ ad Romanos sic ait: *Quum anima constemus & corpore, quamdiu in hac vita corporali sumus, oportet ex ea parte quæ ad vitam hanc pertinet subditos nos esse potestatibus id est hominibus, res humanas cum aliquo honore administrantibus.* Secundi est: *Sæcularitatem contemnitis. sed sæcularior nemo Pilato, cui Dominus adstitit judicandus.* Epist. 42. ad Archiep Senon. Sin & Bernardi exemplum petitur, sic ait Serm. 47. super Cantic. *Vtrumque es mihi Domine Iesu, & speculum patiendi, & præmium patienti.* Postremus in cap. 13. Ep. ad Rom. *Interim dum corruptibilem carnem gerimus, oportet nos carnalibus Dominis subjacere.* At non sit nobis, neque esse debeat major ulla autoritas, quam illa quæ elucet in prudentia & directione ipsius Sancti Spiritus, calamum & hortamenta divi Pauli sic dirigentis atque adgubernantis, ut quo loco sedes erat supremæ potentiæ, quo loco & Romanus episcopus, e cujus officina Ecclesiasticorum exemptio prodiit, esset potentiæ summæ sedem defixurus, eodem loco non temerandæ aut aut revellendæ autoritatis tibicine fulciret suum præceptum, debitam temporalibus potestatibus obedientiam concernens. Iudicavit id non obscure D. Chrysostomus nobis geminato citatus, & ad Ecclesiasticas personas spectare demonstravit. *Facit*, inquit ille ad d. Paulum locum, *Apostolus, ut ostendat, Christum leges suas non ad hoc induxisse, ut politicas evertat, sed ut ad melius instituat; ostendens quod ista omibus imperentur, & monachis & sacerdotibus.* Et Paulo post. *Etiamsi Apostolus sis, etiamsi Euangelista, etiamsi Propheta, sive tandem quisquis es.* Agno-

ſcit divinus præſul hæc ad commune bonum ſic intendi, ut & qui bono communi deeſſe nolit, qui publicæ utilitati non adverſari, obedientiam hanc amplecti debeat. Vnde & alibi inquit: *Hæc eſt Chriſtianiſmi exacta definitio, hic eſt vertex ſuper omnia eminens publicæ utilitati ubique conſulere*. Plura non addo. Suffecerint hæc aſſerendæ veritati quam tutamur, aut nihil, quod ſatisfacturum ſit, adducetur.

CAP. VI.

Poteſtatem ſummam ſupra leges quoque eſſe.



HVjus in quæſtionis diſcuſſione, frequenter utuntur D. D. verbis l. Princeps ff. de l. l. ubi dicitur, *Princeps legibus ſolutus eſt*, & veritatem illius legis ad amuſſim explorant. Sed minus recte. Vt enim habitum privatio, ita ſolutio nexum ſupponit. Eſt agendum citra ambigui involucra. Quærendum ergo, Sitne is, cui abſolute ſummam poteſtatem exercendi jus eſt, quive eam ipſo facto exercet, & quidem beneficio juris quod titulo recto tuetur, in tantum ſupra leges omnes omnino, ut illas excedens aut violans, à nullo, præterquam Deo ſolo, puniri ob hoc poſſit. Quanquam alias ſi legibus ſolutum eſſe idem ſit, quod non obſtringi legibus, non ſubjici imperio legum, facere ei quod lubet licere, res dubio careat. Vt dicam quod ſentio, præmittendum

eſt,

est, bifariam considerari debere eos qui habent potestatem absolutam; ratione Dei nempe, & ratione subditorum quibus præsunt. Ratione Dei etiam gentili poëtæ scitum est,

Regum timendorum in proprios greges,
Reges in ipsos imperium est Dei.

Quod Deus vult, Regi in legem cedit, quam nec ei fas sit non exsequi. Cum vero Phophetæ Danieli Deus indigetetur Deus Deorum, & Dominus Regum, superfluum, imo impium sit, dicere divinis legibus quempiam solutum. Eoque cum dicitur, Regem habere potentiam absolute summam, non hoc dicitur ratione ejus quod immensum atque infinitum est, quale Deus; sed quod finitum est, & quia finitum, Deo, qui infinitus est, suppositum atque obnoxium. De lege naturali res non æque est expedita. Impium sit ambigere, an, quatenus lex naturalis est lumen vultus divini, de quo Regius vates, Impressum est nobis lumen vultus tui Domine, ei obedire teneatur, quatenus animus, religio, atqne interno ac sacratiore stimulo mens subacta, rei gerendæ moralem turpitudinem vel bonitatem adesse aut abesse, ultro, per se, nullis externis irritamentis proritata, aut inducta, significat, ac sic informat, ut non possit non eidem, velit nolit, assentiri. Hic certe obnoxium se feret, & ut Deum, ipsam sequetur naturam. Sed, quid si occurrat utrimque æquum, & quidem naturaliter? Quin dicamus intrepide etiam legibus naturæ solutum? Si enim, æquiore dato, constat minus æquum

non obligare; dicendum, non omne quod natura dictet faciundũ, eum obstringere. At vero ut solutus habeatur, qui astrictus non est nihil intercedit. Vt ait I. C. Triphoninus, ea *demum vera justitia est, quæ sic unicuque suum tribuit, ut alterius justiore petitione non removeatur.* Ergo in petitione justiore diriget eum naturalis ratio ad illam ipsam: quæ eadem naturalis ratio, ipsum coegisset, absque hoc foret, suum tribuere, petenti quod erat justum. Porro si quid casus se offerat, in quo cessare, omittere, aut negligere ipsi integrum non sit, in quo utrimque naturale dictamen sic pugnet, & inter se committatur, ut in neutro aut directivam naturæ vim, aut coercitivam amplecti possit; ut in Abrahamo filium suum immolare jusso? Scio reponet quis, omnino Abrahamo non attendenda fuisse naturalia, obaudiendum fuisse Deo, naturæ Domino. Sed intercurrunt multo plurima, quamobrem non omnino de facili talis solutio admitti possit, in quæ nunc me non intromitto. Sed quid si non interveniat aliquod imperium Dei, ut in primo isto Salomonis judicio. Certe prohibeat natura dissecandum tortori tradere innoxium infantem, prohibeat non profutura segmenta in incertam matrem dividere: divisa sic velle, turpitudini morali vicinius erat, quam ut vel eminus ad ullum bonum collimaret. Si quod animo occupaverat Rex fore, ut materni affectus pietas se manifestaret, non successisset; puta hebetato matris veræ & genuinæ sensu, aut per dolorem evicto, illa intrim in duritie cordis sui, quæ hypobolimæum sibi fœtum vendicare contendebat, perstante, aut alias Deo ob latentes caussas sic permittente, sic dispensante;

ſante; ſi exſecutioni mandata fuiſſet ſententia, quæ hic juſtitia fuerat futura? quæ æquitas? quod judicium? At ceſſare Salomoni non licebat, tribuendum unicuique ſuum erat, jus reddendum petentibus. Probavit Deus non tantum regis effatum. quin hoc ipſo factum, ut impreſſus, ille regibus divinæ majeſtatis character profundiore ſulco in animos ipſius ſubditorum ſe penetraverit. *Quum audirent omnes Iſraelitæ quod judicaverat Rex, timuerunt à facie Regis, videbant enim ſapientiam Dei in eo eſſe ad exercendum judicium*, ait ſacer Codex. Solutum ergo tali caſu naturæ legibus Regem auſim dicere, qui tamen maximum hic temperamentum requiro. Solutum credo, quia docet me idem ſacer Codex, Regem eſſe à Deo immediate conſtitutum, quia cor Regis in manu Dei, quia cordis Regii perveſtigatio non magis datur, quam aut altitudinis cœli, aut terræ profunditatis: cui rei cauſam primo capite hujus libri jam nunc expoſui. Quin cum Deus ipſe ſit, qui Regibus utitur ut organis; multa quæ nos fugiunt, & intellectum noſtrum, per illorum explicat miniſterium, quæ nobis non niſi à poſteriori noviſſe conceditur, ipſi Deo decreta, à priori nota, & Regum animis divinitus inſpirata. Quo & valide me impellit, quod etiam jam ante citavi, quod dicitur, honorem Regis eſſe rem perveſtigare, quam Deus cæterorum oculis ſubductam, vel hoc ipſo quod ſubduxerit, in honoris ſui argumento habet, ut pote quam neque ulli præterquam Regi liberum ſit rimari. Eo autem liberius id me ſentire profiteor, quia ſcio & ſciunt omnes mecum, qui ſacras literas legerunt, enixe velle Deum ut Rex ſubditis ſuis inviolabi-

lis habeatur & sacrosanctus. Quippe qui sibi soli reservatas esse pœnas voluerit & relictas, quibus in Reges, non ex mandato suo regnum administrantes detumeat. Vt uni, soli, supremo, Spirituum regiorum (sic eum Rex propheta vocat) vindemiatori. At vero si non essent solutæ istis, quas dixi, legibus naturæ, summæ potestates; si in istas impingentes aversari, insurgere, bello persequi, solio dejicere, regno, rebus omnibus, omni divino humanoque commercio excutere liceret, parata regnis & publicis quibuscunque rebus esset omni tyrannide peior Anarchia; esset Babylonicæ multis parasangis antecursura confusio.

Temperamentum, quod hic requiro, duplex est: primum, ut quovis modo curet, ne ullo omnino modo naturæ, aut naturalibus, qua honestati, qua præceptis, inferatur injuria, illatam vindicet, propulset, eoque in penitissimum sacri pectoris scrinium admittat aureum illud Imperatoris nostri dictum, *Oportet communibus existentibus contra naturam injuriis, communem super his esse judicibus prohibitionem atque vindictam.* Alterum, ut ante omnia ad os Dei recurrat, precibus, jejuniis, suppliciis illius auxilium atque opem petat, illius in quo vivimus omnes, vegetamur, & sumus: consilio etiam, si res ferat, fidelissimorum, prudentissimorum, & quorum in salute regni conservanda maximum interesse veritur, quique adeo, nisi regno salvo, salvi esse non possunt, adhibito. Fabulantur gentiles, etiam suos Deos Consentes Iovem habuisse. Seneca alibi, *Nec Iovi quidem ipsi, si aliquid fulmine percuti debet, suum consilium satis est: admittit Deos autores.* Eo peracto, non est ut attendat, durumne sit quod designat,

an

an ex traverſo hunc aut illum læſurum, huic aut illi legis parti minus reſponſurum, totam modo curet rempublicam, habeat pro ſuprema lege publicam omnium ſalutem; ſciat unum imperii corpus una anima ſibi regendum, vim ac jus principatus non eſſe reſolvendam, illaudatas in conſiliis & turpes moras eſſe, quæ non niſi per actum laudentur. Nec aberit ſucceſſus. Bene cognoſcimus, ait Imperator noſter, quod cum conſilio noſtro fuerit ordinatum, id ad beatitudinem noſtri Imperii, & ad gloriam noſtram redundare. Sin & ille abfuerit, ſin bene agitata deſtituerit, ferat. Nunquam ſucceſſu creſcit honeſtum: dum fert, ſecurus ſit; & cum regum præſtantiſſimo Committat Domino vias ſuas, ipſe faciet. Sed conſtringamus ſermonem intra deſtinata. Succenturiatur Naturali Iuri Ius gentium, cui & ipſi ſubeſſe poteſtates ſummas qui velint, ſunt non pauci. Sane, quatemus Apoſtolus ait, *gentes quæ legem non habeant natura aut naturaliter facere id quod ſit legis*, & quatenus idem divinæ juſſionis dictamen eſt, quod naturæ, atque taliter uſu atque actu ipſo exprimitur à gentibus bene moratis, omnino iis attineri eas, ſtatuendum eſt. Quatenus quoque illa quæ gentium juris circumferuntur, poſt condita regna, gentes deſcretas, &c. Vltro atque incunctabiliter oſtentant, hæc aut illa eſſe per ſe bona, per ſe mala, amplexanda, fugienda, non magis ſe illis, quā omni humanitate exuant. At vero qua non omnia ex æquo ubicumq; ſunt recepta, non omnia uno eodemque bonitatis habentur æſtimio, non eſt ut adſtrictas pronunciem, ſed liberas atque immunes, dommodo nequid abradatur illis, quę quaquaverſum obſervata, ipſa natura,

ac natura potentior Deus, omnino insinuant, perpetuo servari debere. Postremo loco sunt leges civiles & positivæ. Quas ipsas suo momento, qua idem cum divinis institutis, præceptis naturalibus, & in utraque ista conspirantibus bene moratarum gentium moribus habent, servandas Regi asseverare non dubito. Illas, qua donum Dei lex est, reverenter habebit, quatenus communem Reipublicæ sponsionem continent, non magis negliget, quam ipsam Rempublicam. Quidquid à Demosthene dictum est, quidquid à Chrysippo Stoico, nempe, *Legem esse cui obtemperare omnes conveniat, tum ob alia multa: tum vel maxime, quod omnis lex inventum ac munus Dei est: decretum vero prudentium hominum: coercitio eorum quæ sponte vel ignorantia committuntur: communis sponsio civitatis: ad cujus præscriptum omnes qui in ea Republ. sunt vitam instituere debeant.* Item, *Legem esse omnium divinarum & humanarum rerum reginam, oportere autem eam esse præsidem & bonis & malis, & Principem & ducem esse, secundum hoc, regulam esse justorum & injustorum, & eorum quæ natura civilia sunt animantium, præceptricem quidem faciendorum, pro hibitricem vero non faciendorum.* Et si quid denique commendare leges magis ex augusto potest, jugiter ipse observare, atque etiam sequi volet. Sed alia est consideratio legis, qua talis, alia legis civilis. Ius civile, ut est in Institit. *est jus cujusque civitatis*, ut jus civile Atheniensium, & propter excellentiam, jus civile Romanorum. At nene quempiam Principum aut exterarum gentium alligat jus alienarum civitatum, nisi ultra admissum ac receptum. Non obligat etiam jus illud quempiam, præter

ter eum qui ejusdem juris utitur communione. Eo ipso quod cæteri externi sibi mutuo sint, alii Regi, alii statui subditi; cessat omnis illa, quæ, hoc nisi esset, obligationem juris introducere posset, juris communio. Sumpta ergo largo isto significatu voce Iuris Civilis, omnino immunis & liber est Rex ab isto jure, ut quod ne per communionem ipsum tangat, nedum ut obliget ad observantiam sui. Sed enimvero quandoquidem plurimis in regnis, rebus publicis, locis, recepta sunt civilia Romanorum jura, despiciendum est, an sit supra omnia illa positiva ac civilia jura qui jus habet summæ potestatis, an vero eis sic sit obnoxius, ut non modo vi directivæ, sed etiam coactivæ earundem teneatur deferre. Ego absolute supra omnia illa esse dico. Movet me ipsa majestatis natura; hæc cum superiorem non agnoscat, nihil datur quod illam legibus subjiciat, aut ad earundem observantiam præcise cogat. Movet me conditio legum, quas non male *Virtutes armatas* alibi Seneca vocat, eo quod in gyrum atque ordinem cogant malos mores. Sunt leges scita superioris potentiæ, quibus in officio continentur qui officium suum facere detrectant. At non est, ut cum superiorem non agnoscat Majestas, ei leges quibus substernatur, præscribi possint. Perinde itidem non, est ut leges ipsas armet si non vis ac potentia aliqua superior. nisi forte leges somniare placet, quales leonibus lepores tulisse apud Aristotelem in Politicis fabulatur Antisthenes. Iunge, quod ut leges summas potestates suis nexibus attineant, opus sit eas aut à superiore latas, aut à subditis, aut ab aliquo cui æquale jus est ac potentia.

Atqui superiorem Majestas non agnoscit, ergo non à superiore. Vt vero quibus obsequii gloria relicta est superiori legem ferant sana ratio negat. Vt neque æqualem ferat, quod summum est: esset enim ipsum illud æquale summum. duo autem summa dari non possunt. Summæ vero potestati æqualem si adjunxeris æque summam, jam neutra erit summa. Æque est ac si dicas dari duo infinita, contra infiniti definitionem, quæ id demum infinitum docet extra quod nihil assumi possit. Si quis infinita duo ponere vellet, utrumque destrueret: idem de summis potestatibus dictum esto. Divine in casu hoc nostro in Oratione contra Idol. D. Athanasius, *Vt multitudo Deorum nullitas est Deorum, ita quoque necesse est, multitudinem principum efficere, ut nullus esse princeps videatur.* Accedit quod se ipsum cogere nemo possit: at si legibus obnoxius sit Princeps, & leges in se ipsum exsequi teneatur, jam illa quæ penes ipsum est Majestas, desinet esse in ipso id quod est. Nisi eo provolvi lubet, ut dicamus simul quid esse posse, & non esse. & cum Majestas non possit esse non summa, quod autem legibus subjicitur non possit esse summum; necesse est, aut falsum esse, quod de subjectione legum adfertur, aut Majestatem non recte definiri potestatem absolute summam. Et quando quidem hæc quæstio I. C. proprie tangit, videamus, sodes, etiam dictum jus civile. Hujus ego dispositioni innixus idem sentio. Fundamentum est mihi lex tricesima prima de Legibus ff. ubi totidem verbis, *Princeps legibus solutus est*: abrogatam autem hanc esse legem nusquam apparet. Atqui vero, ad illum effectum, ut Princeps non esset legibus solutus, abrogari debuerat, & quidem specifice, expressim diser-

disertimq;,neque ad hoc ulla tacita abrogatio aut elicita, cerebrina atque imaginaria suffecerit. Quanquam (quod alterius quæstionis sit) abrogari potuisse, etiam omnino negem. de quo inferius. Inter cæteros qui abrogatã hanc legem volunt, est (unum omnia moventem aliorum argumenta, quo uno labore absolvam, liceat refutandum excipere) illustre Iurisprudentiæ politioris decus Valens Forsterus, eruditissimis, quos de Romana jurisdictione annum septuagesum octavum ingressus, scripsit libris. Primum quo movetur est, quod Alexander Severus, non quidem expressa constitutione imperatoriam hanc potestatem, ut legibus soluti essent diminuit, sed tamen in jure dicundo ac rescribendo, se juri communi subjecit. Verum enimvero omnino leviculum id est, & arti magis imperatoriæ, quam ulli præter hoc rei imputandum. Novit hoc qui vel à limine salutavit Romanam historiam, de facili autem ille omnino transmittat, qui modo memor sit moniti ad Tiberium Sallustiani, ne cuncta ad Senatum referendo, &c. Sane nihil æquè tralatitium Imperatoribus occurrit, nihil minus quam id ipsum in animo habentibus. Sic faciundum erat, quo serio se libertatem cum modo velle persuaderent, qui non nisi sine fine dominatum, vastis & immoderata cupientibus animis, qua pote, protrudebant. Libertatem præferebant, libertatem eversuri. omnis id ætas, omnis experientia testatum fecit. Sed nec verum, quod se juri communi subjecerit, ut juri communi, neque enim vel tantillum supremæ potestatis jura per illam constitutionem d.l. Princeps diminuit, nedum ut induxerit aut aboleverit: sed submittendo se, ideo atque ob ipsam illam submissionem jus

commune esse debere observantia propria testatus est. Sic Galliæ Reges componunt se ad placita atque edicta Parlamentaria. Cum Parlamentum multoties non admittit, aut ut loquendi tralatitius in istis mos, non verificat edicta Regis, non submittit se Parlamento Rex, ut superiori suo, cui ad strictus sit, neque Parlamentum effert se supra regem; sed fit hoc ex puro atque absoluto regis arbitrio. Nempe dum Rex vult, non aliter edicta vim suam sortiri, quam si Parlamentum examine exacto instituto comperit, esse ea non per sub & obreptionem impetrata, principe circumducto, aut occupato, aut minus instructo, sed omnino è bono publico esse, ut promulgentur & serventur ab omnibus. Verbo ut absolvam, hoc cum ita Parlamentum facit, non ostendit non posse Regem id facere, quod Parlamento improbatur, sed facere nolle. Illæsa, nec hilum imminuta potentia Regis, non sat recte informata voluntas statuentis, in ea deflectitur, quę sint è bono publico, utique ei non adversentur. Quæ res, ut recte judicatum ipsis Galliæ Regibus, Majestatem principis facit illustriorem, dum eos tam insigni argumento patet totum Regnum curare, quod absque hoc Parlamenti in partem laboris & curarum venientis adjumento, vix possibile sit. Quippe cum singulorum negotiis Reges superesse non possint, cum alienis oculis multo plurima cogantur videre, alienis auribus audire, eoque mu'ta in dies fiant legibus adversa, multa committantur quæ ad Reges non perveniant, multa etiam saluti publicæ apprime necessaria, legibus omittantur, non est aliud salubrius quam parlamentarium examen; in

quo

quo ut suadendi autoritatem Reges obviis ulnis amplectuntur, ita jubendi potentiam non admittunt, nisi qua salutem populi pro suprema lege sacrosanctam habent servantque. Atque huc forte referendum est illud I. C. *non ambigitur Senatum jus facere posse.* Quam autem verum sit, autoritatem juri talem non aliunde circumdari, monstrant illa Iustiniani, qui non uno post Alexandrum sæculo vixit, in L. Humanum. C. de l. l. *Scitote,* inquit ille, *Patres Conscripti, non aliter legem in posterum à nostra clementia promulgandam, nisi supradicta forma fuerit observata.*

Quæ à Forstero adducitur lex, ex imperfecto C. de testamentis, etiam tota est politica, & ad politica stratagemata seu κρύφια referenda. Cum multi vitæ fortunarumque suarum haud nimium securi agerent in Imperio Romano, & præsentaneum sæpe ex opibus nimiis exitium immineret, Imperatorem ipsum testamenti tabulis nuncupare solemne erat, tabulis de cætero remanentibus imperfectis. Tam autem male sancta compendia aucupari bonos Imperatores noluisse, mirum non est, eoque constituisse, non posse se vindicare hæreditatem, ex testamento tali. Verbum constituisse clare vel per se hoc demonstrat; & ipsam hanc voluntatem principis haud aliam fuisse evincit, neque legis præter d. constitutionem ullas hic esse partes. Tantum abest, ut dissolvatur hac lege potestas principis, ut intendatur potius, & quidem contra ipsam legem. Non enim quæsitum est, an princeps esset legibus solutus, quod inconcussum perstat; sed quia lex eum imperii solvisset solemnibus, an vi legis ei non esset integrum adire illam ex testamento

imperfecto hæreditatem; quod negat Imperator, & legi imperii, quam inducit antiquatque, suam ipse constitutionem ante ponit. Liceat hoc dicere, non videre me, cur qui solemnibus sit, si solemnitas essentialis sit, non etiam ipsa lege dicendus sit esse solutus. Quæ porro habet d. l. nihil tam esse proprium Imperii, quam legibus vivere, utque est in l. digna vox C. de l. quod *digna vox sit Majestate regnantis legibus se alligatum Principem profiteri.* Vbi etiam adjungitur, *Adeo etiam de autoritate legis nostra pendet autoritas, & revera majus imperio est submittere legibus Principatum. Et oraculo præsentis edicti, quod nobis licere non patimur, aliis indicamus*; illa nequaquam eo tendunt, ut d. l. Princeps velint adversari. Agunt d. ll. Ex imperfecto & Digna vox non de potestate Imperatoris, sed de officio illius. Legibus alligari, vivere secundum leges, cum Majestatis natura non pugnat, sed subjici, sed obligari vinculo juris. Habent præterea d. ll. quid quod se non ad præceptum componat, sed ad exemplum. Alexandro autem Imperatori cujus est illa l. Ex imperfecto, fuit cum primis familiare, ut, cujus testis Lampridius, ageret censuram de moribus suis. Et ne Alexandro hoc uni debeatur, vita Principum censura perpetua est, ad quam subditi diriguntur, ut quibus multoties non tam imperio opus est, quam exemplo. Tantum vero abest, ut derogare quid potestati suæ voluerint, ut ex adverso, eodem illo titulo, non modo supra omnes leges, sed supra ipsos quoque judices & eorum judicia eam extulerint. Prius patet ex L. Leges Sacratissimæ C. de ll. verba sunt, *Si quid in iisdem legibus latum fortassis obscurius fuerit,*

fuerit, oportet id ab Imperatoria interpretatione patefieri, duritiamque legum nostræ humanitati incongruam emendari. Posterius ex l.1. C. eodem. ubi Imperator Constantinus, *Inter æquitatem jusque interpositam interpretationem nobis solis & oportet & licet inspicere.* Quæ tam clara sunt, ut superfluum sit dissolvere velle. Quod Forsterus infert ex verbo judicamus, quod est in d. l. digna vox, quasi diceretur judicamus, ut ostenderet parem in parem imperium non habere, cum alias dicturus fuisset mandamus, idque pro imperio; satis superque binæ quas attuli leges hanc tam parum stringentem illationem enervant. Cumque omnia cætera D. Forsteri allegata tantum ad officium Principis spectent, potestatem non tangant, neque ullus mortalium neget, Principes quibus Deus arbitrium vitæ & necis, potestatem in omnia concessit, sic se componere debere, ut quę officii, satagant: officii autem esse non minimam partem, ut vitam secundum leges instituant, & quacumque fieri potest vitæ ac juri subditorum civili conforment aptentque; non est ultra eis ut nostra hæc impendamus. Alii civilibus legibus non quidem promiscue solutum Principem volunt, sed duntaxat suis, ut ipsi sibi, quod in diverbio est inter practicos, manus non liget: alii ad legũ solemnia, & caducarias leges, de quibus jam maximam partem egimus d.l. Princeps restringunt: alii negant pœnalibus legibus Principẽ attineri. quæ omnia simpliciter prolata, simpliciter esse vera jure merito negari possit, exececpto illo quod dicitur de pœnalibus legibus, quarũ alia res est, ubi non Regem penes, sed penes regnũ potestas est absolute summa, utque distin-

distingunt Scholastici, ubi non personalis, sed realis est majestas, ac pro majestate jus, seu personæ seu regno diatum. Omissa vero Majestatis illa inter realem & personalem distinctione, nullo negotio evinci potest, quod de pœnali lege observat Cujac. l. 26. Obs. c. 31. Cur ergo solutus est? ait Cujacius: quia si deliquerit non punitur, quia ab omni exsecutione immunis est. Cur vero immunis est, nisi quod desit, qui eum punire possit? Saltim lex punire non potest. At vero ecquæ legis etiam fingi obligatio potest, si commissum in legem quæ excipiat pœna non invenitur? Prorsus nulla. Amplius dicam. Quæcunque legis obligatio est, ea aut obedientiam ponit, aut pœnam. Consequens est, ubi ulla dari pœna potest, ibi neque legis ulla dari possit obligatio. deficiente obligatione, deficiunt virtus, anima legis, ipsa lex, nedum illa vis, quæ potestatem illam absolute summam habeat sub se. Vt veniamus in rem præsentem, Princeps in Romana civitate Romulus fuit. Illi leges nemo tulit. Non Senatus: lectus enim ille à Romulo, non ab illis Romulus. Non populus: urbem eum Romam primi Reges habuere. Ipsum Romulum quod concernit, lege lata constituit, ut de gravissimis criminibus inter subditos ipse decerneret, de levioribus Senatores. Leges, ipse superior tulit; leges à Senatu, à populo nullas accepit, nulli legum vinculo se innexuit. Notatum quidem Tacito præcipuum Servium Tullum legum sanctorem fuisse, queis etiam Reges obtemperarent. Sed recte rem introspicientibus non est ut nimium large hæc asserentis Taciti dicta sumamus. Prorsus ita est, legem Regiam simul

cum

cum ipſa urbe natam, Livius agnoſcit. Servii autem Tulli factum omnino ſingulare. Factus erat perduellionis reus Horatius. Fecit ei Tullus licentiam, ſi Duumvirûm judicio vinceretur, cum Duumviris procuratione ad populum certandi. neque mirum: ſontem abſolvere non poterat, invidiam ingratiſſimæ ſententiæ ſubire formidabat. inveniendum erat temperamentum bono viri fortis, patriæ libertatis aſſertoris, patriæ patris; rei tamen, & damnandi. Vtcumque cecidiſſet ſors, quo ne in ipſum ſcævum quid recideret cautio fuit; ea ſcilicet ut injuriæ, ſi liberaret nocentem, ingrati animi notam ſi condemnaret, à ſe amoliretur. Id ipſum ab illo factum, ut vero populum vel ſuperiorem ſe, aut ſibi parem agnoſceret, longe abfuit. Argum. ſit quod, ſi quid Halicarnaſſæo, ſi quid Livio credimus, ipſe ſibi Tullus majeſtatis crimina reſervarit, privatorum quæſtionibus ad populum delegatis. Stantibus intra factum ac cauſam Horatii, manifeſtario pervincit res ipſa non derogaſſe ipſum vel tantillum juri ſupremæ, quæ penes ipſum erat, poteſtatis: ut qui abſolutum populi ſententia victorem Horatium, etiam poſt abſolutoriam, hoſtili more, miſerit ſub jugum. Quo nihil manifeſtius, quam poſt ac ſupra populi deciſionem exercuiſſe ipſum jura ſummæ poteſtatis. Stultum quippe ſit (ita cum Vlpiano I. C. effari liceat) monere, à principe appellare fas non eſſe, cum ipſe ſit qui provocetur. Vt vero clarius dicam, juriſdictio quam populus exercuit, Tulli concedentis fuit, eoque non populi propria, ſed delegata, ſed mandata à ſuperiore. Quid vero quod neque mandata ſimpliciter fuit, ſed ab eventu conditionis ſuſpenſa: ſi enim certami-

ne superiores fuissent Duumviri, ne quidem condemnandi populo potestas facta, cujus omne jus intra absolvendi facultatem coercitum; omne penes Regem jus condemnandi. Ita disertim habet horrendi carminis lex: *Duumviri perduellionem judicanto: si à Duumviris provocarit, provocatione certato: si vincent, caput obnubito, infælici arbori reste suspendito: verberato vel intra pomœrium vel extra pomœrium.* Quæ qui observare dignabitur, non dubito judicabit vel ex hoc ipso exemplo planum fieri, jam tum à Principio V. C. Principem fuisse supra leges. Quo ne accumulemus non necessaria, poterit omitti potestas Dictatoria, quæ tamen, Livio teste, talis, ut adversus illius vim Tribuni pl. aut ipsa plebs, ne attollere quidem oculos, aut hiscere auderet. Veniamus ergo ad tempora Cæsarum. Sub Severo vixit Papinianus, vixit Vlpianus, vixit & Paulus, Severo pariter à Consiliis. Sive Paulo, sive Papiniano, l. Princeps acceptum ferenda est, parum refert: id unum sufficit & receptam & probatam fuisse, nullo contradicente: abrogatam sane non fuisse evincat primiceria quæ lex est de Constitut. Princ. Sic illa, *Quod Principi placuit, legis habet vigorem.* additur immediate ratio; *ut pote cum lege regia, quæ de imperio ejus lata est, populus ei & in eum omnem suam potestatem conulit. §. Quodcunque ergo Imperator per epistolam & subscriptionem statuit, vel cognoscens decrevit, vel de plano interloquutus est, vel edicto præcepit, legem esse constat.* Quod ergo primum occurrit est illa lex Regia, & quidem talis, qualem ipse Vlpianus describit. Nihil apertius, quam ut dicamus, recte interse converti, summam illum habere, etiam supra leges civiles potestatem, cui quod placuit le-

gis

gis habet vigorem. Si quid enim placeat extra, ſupra, præter, aut contra leges? ſileant neceſſe eſt. Quidſi qui legibus ſolutus eſt, leges ſupra ſe detrectet admittere? Satisfecerit certe, quod nullis ipſarum vinculis attineatur impetritus. Si quid ergo hoc præter deferendum legibus aut putet, aut velit, beneficio deputandum erit; ut ulla nolentem lex eo cogat, nulla ratio pervincat. Penitius inſpicienti, cur ſit ſolutus legibus Princeps, cur habeat vigorem legis quidquid (alia ut ne recenſeam) ipſi placuit, quæ ratio? fert ea ſe obviam, nempe quod lege regia, quæ de ejus imperio lata eſt populus ei & in eum omnem poteſtatem contulerit. Plane quot verba, tot pondera, ſuſtentandæ veritati ſententiæ illius quam tuemur. Si poteſtatem legum latricem populus contulit quod fecit; primū, non eſt quod contra niti poſſit. Dicendum cum Imp. Iuſtino, *Nimis indignum judicamus, quod ſua quiſque voce dilucide proteſtatus eſt, id in eundem caſum infirmare, proprioque teſtimonio reſiſtere.* Item, ut cum ſe fert ſolutum legibus Princeps, cum legis habitura vigorem decernit pro placito, fiat id omne & ex aſſe quidem populi conſenſu. Tertium, quod fiat jure poteſtatis, quam habet, ita ferente lege regia. Non me immitto in quæſtionem, fueritne lex regia, nec ne. Eam annumeret qui volet Idæis Platonicis, aut atomis, quibus mundum conflatum Epicuræi perſuaſum voluere, nihil hoc ad rem: ſuper ſatiſque quod eam habuerit indubiam P. R. & ſecundum eam decreverit, habere legis vigorem Principi quod placuerit. Interim, ni totus erro, fuit illa lata ſub Auguſto, ut jam non repetam,

citatam modo à me, Romulo ferente, & quidem actum id ea lege, ut esset Augustus legibus solutus: neque actum modo id, sed transactum. Ita ut plane in necessitatem legis demigraverit, quod concedendi aut abnuendi libertati reliquum ante superfuisset. Lex ipsa Regia de potestate principis lata est, text. d. l. Si de potestate, ut habet textus, frustra ad officium Principis spectantia sic ventilantur, ac si potestati summæ derogare possent. Sic lata, potestatem ei, & in eum, omnem contulit. Torquent hæc non nullos verba, sed, ut eloquar quod sentio, quærunt in scirpo nodum, quocumque enim modo accepta, potestatem quæ supra leges sit, Principi statuminant. Volunt nonnulli verba, ei, & in eum, solum Imperatorem spectare, quemadmodum dicitur in l. 1. §. 7. C. de Veter. jure enucl. Quod antiqua lege, quæ Regia nuncupabatur, omne jus omnisque potestas P. R. in Imperatorem fuerit translata. quod si est, aut dicendus est populus ipse supra leges non fuisse, aut Imperatorem fuisse fatendum est. Alii dicunt, ei & in eũ, id exprimere, inter quos est Theophilus Iustinionum paraphrastes, quod ipse populus omnem Imperatori in omnia potestatem, atque adeo in se ipsummet transtulerit. Quod si est, non est, ut quid haberi disertius, aut explicatius requiri possit. Sed neque alia, quæ Principem supra leges esse evincant, desunt argumenta. Principis est rogare leges, Principis est abrogare: quin ergo sit supra leges? Quæ leges in contractarium allatæ sunt, de officio Principis loquentes, hoc agunt, ut ostendant, uti legibus debere, tanquam bene regnum administrandi instrumentis. At impossibile est

hoc

hoc ut faciat, si legibus sit subjectus. Altera subjungi possit ratio, quod nempe aut ante legem Regiam leges fuerunt, aut post eam: si quidem ante, cesset earum obligatio, Regia lege lata: si quidem postmodum latæ sunt, in tantum valeant, quantum Principi placent. Possit & tertia à simili petita. De Iurisdictione dicitur, l. 2. ff. de officio ejus cui mand. est jurisd. *Iurisdictione concessa, simul omnia quoque esse concessa, sine quibus explicari jurisdictio non potest.* Idem ipsum si de Principatu dicendum, ut est omnino, nihil certius quam finem suum Principem consequi aut assequi non posse, nisi sit supra leges. *Neque leges, neque Senatusconsulta ita conscribi possunt, ut omnes casus qui quandoque incident comprehendant.* l. neque ff. de l. l. Silentio non est tegendum, quod in tantum fuerint supra leges, ut etiam se inconsultis nonnulla judicibus Principes permiserint. Exemplum est in l. 3. C. de Episc. Aud. ubi text. *Nemo deinceps tardiores affatus perennitatis nostræ exspectet: exsequantur judices quod indulgere consuevimus.* Nec quid manifestius verbis finalibus l. quidam consulebat ff. de Re. jud. ubi pro omni ratione potestas hæc sufficitur. Verba ponam. *Princeps enim qui ei Magistratum dedit, omnia gerere decrevit.* Videat cui integrum est & legem, & casum legis; neque quicquam occurret in quo non se explicet leges super ipsas se asserens Principis potestas. Sed non opus est operosiores hic ut simus. Directe & ore pleno audiamus loquentem Imperatorem. Sic ille, Novella 105. *Omnibus prædictis, imperialis nobis fortuna exempta esto,* CUI DEUS IPSAS ETIAM LEGES SUBJECIT: IPSA HOMINIBUS QUASI

ANIMATA LEGE DIMISSA: *eo quod Imperatori quidem omnibus civitatibus, populis, ac gentibus consulenti, quæ singulatim illi visa sunt & placent, consulatus nunquam non subsit.* Adtexi his possent etiam Politicæ rationes, ad quas oculos si retro flectimus, omnino planum fit, solutum legibus Principem necessario esse debere. Sed poterit earum habendarum curiosus, illas apud Aristotelem libro tertio Politicorum invenire; cumque qui mentem Aristotelis non curate minus explicat, quam nervose Guiliel. Budæum, suis in Pandectas notis, ad citatam multoties nobis hoc capite. l. Princeps, ff. de ll.

CAP. VII.

Summam absolute potestatem supra populum esse demonstratur.

VT patet ex iis, quæ dissertationis. hujus capite primo adducta fuerunt, origo immediata summæ potestatis ipse est Deus. Is cum ex certa ratione & consilio omnia in suos producat effectus, omniaque agat ex liberrimo beneplacito, paginam hic utramque facit. Sive ergo attendimus, quid agat circa Regum electionem (quod quidem, nec inepte, videri possit, instar aliquod creationis in se habere,) sive qualem sese in eorundem conservatione exhibeat, aut quæ demum illius sit cum causis secundis συνέργεια; prodit se confestim, non alio nobis recurrendum, quam ad hunc fontem. Est vero id eò faciendum impensius, quia ipsemet

met in Sacris & non obscurè & passim testatur, influere. sese, atque adeo nullo interveniente; in hujusmodi Regum creationes, ab hominibus designatas. Quare cum ejus solius sit omnia determinare, quæ subordinatè fiunt; ut qui inferiora ac subordinata quæque habeat tanquam instrumenta; quo & spectet illud, *Sicut in figuli manu lutum, ita nos in manu Domini*: cum sint ipsa instrumenta absque ejus concursu atque influxu, nullius momenti futura: cum sit infinitis periclitationibus compertissimum, ejus virtute res creatas sæpe agere, contra, nedum præter naturam suam: quibus accedit, & quod ipse sit omnia in omnibus, & quod nos cupiat vivere, vegetari, atque esse in se solo: nemini dubium evadat, non aliud hic à nobis decerni aut posse aut debere, præter hoc ipsum, quod pariter & à nobis observari voluit, & ut observaretur velle se demonstravit. In Subjecto nobis themate, quid voluerit, non est operose ut quæramus. Ipsa illa superioritate (fas ita loqui sit) potestatis, ad quam summas potestates evexit, easdem censeri Deum velle, nemo neget. Hoc posito, quod præ cæteris eminentia talis summarum potestatū habeat Deum autorem, duo isto sequuntur, tum voluntatem hanc ratam haberi debere; tum nullo aut superiori aut æquali assignato exstructore, obrogari debere tantæ potentiæ, nedum derogari. Veritas utriusque in evidenti est. Voluit Deus, ut per ipsum Reges dominarentur, quia voluit, omnem animam potestatibus sublimioribus esse subjectam. Consit, nullam superesse contra nitendi rationem, quacunq; spectandā se ac noscendam præbet voluntas Dei. Hæc dum omnibus potior est; firmum stat fun-

fundamentum volentis Dei. Is ubi se velle ostendit, ilico justissimum est omne quod vult, vel hoc ipso quod vult. Nulla vestigandi necessitas est, cur Reges populis sibi subditis potentia velit antestare; utique nobis ea nulla, quîs vel id per se solum, quod voluerit, is qui justissimus est, pro omni ratione sit, ac quovis modo satis superque. Quo ne tamen hujus veritatis, ut ut exploratissimæ minus ęqui censores, sugillent, dici hæc facilius, quam evinci; dico, loqui rem ipsam, voluisse hoc bonorum omnium largitorem ac statuisse in humanæ societatis commune bonum; quæ nequicquam absque hoc ad bene beateque vivendum contendat anheletque. Sed & & utilitas ipsius ordinis, vel nobis tacentibus, originem sibi à Deo esse probat. At vero, an & quatenus ratio illius communis boni in divinam voluntatem influxerit, ulterius vestigatum velle, non excusandæ temeritatis sit. Sufficiat, quod, ut loquendi fert mos, à posteriori rem inspecturis, voluntas illa quamplurimis argumentis se probet, & vel ultro oculis animisque nostris insinuet. Ita est: proximam suæ, Majestatem Regum, vult hic in terris exhibere, vivam ac spirantem imaginem sui. Hinc est quod Reges suo nomine Deos vocet; & qua tales, indigetet, etiam omnes, nullo excepto, filios Excelsi. Evidens quoque in illo dictæ nobis voluntatis testimonium, quod eosdem Vnctos suos appellarit: quam vocem traduce procul dubio spiritu exprimens Rex Propheta, Vnctos Domini dixit. Quæ quidem multis & non revincendis argumentis probant, voluisse Deum, quovis modo, ut esset Rex supra populum, & quidem promiscue, nullo

rege

Rege seorsim habendo. Nam ut de Vnctione ipsa pressius agamus, nusquam in Sacra Sriptura reperitur (quod primum ab unctione esto argumentum) ullum è Iudicibus unctum fuisse: insigni atque evidenti multum præjudicio, quanta quanta fuerit eorundem potestas, nunquam tamen ad Regii culminis fastigium eam assurrexisse: quam tamen fuisse super populum in sacris testatissimum est; neque id ulli in mentem venit negare. Ergo in singulare supereminentis potentiæ τεκμήριον hanc unctionem à Deo super inductam fuisse apparet, ut quod disertissimum esset divinitatis symbolum ac velut Sacramentum. Secundum est, quod hac unctione in nullius alterius persona fuerit usus, quam duntaxat in persona Regis, & cum Rege sacerdotis. Atqui vero nullam sibi populus potestatem usurpandam duxit supra sacerdotem; quam ut supra Regem sibi ullam aut imaginetur aut figuret, sana ratio non sinat. Certissimum est, supra sacerdotes sublimiore imperio divinitus Reges fuisse locatos, ut qui illos habuerint non minus, quam cæteros, sibi subjectos, ac proinde etiam in eos, qua subditos, rebus ita ferentibus, summi imperii jus exercuerint. Huc spectat illa in sacris sacerdotum convocatio ad mandatum regale; faciunt, ut officio probe fungerentur, data præcepta; faciunt increpationes, abdicationes, pœnæ. Sic videre est Helciæ præcepisse Iosiam; Iojadam à Ioaso increpitum, Abiatharem à Salomone sacerdotio motum. Sed frustra nos exempla morentur: dictum jam geminato, injunxisse Deum Aaroni, ut esset os Moysis, Mosen haberet loco: Dei nempe ut ad quem ver-

bum Dei factum esset, seu qui à Deo mandata haberet; nam hoc sensu ipse Dominus Iesus Deos esse dictos Magistratus exponit. In qua re ductum hoc ab unctionis præjudicio argumentum, tanto majoris momenti est, quod omnes cæteras inferiores potestates, ab hac ipsa procul habere, numini visum sit. Vt de oleo sacerdotali codex divinus, *Caro hominis non ungetur ex eo.* Vt de unctione Davidis sui ipse Deus, *Inveni servum meum David, oleo sancto inunxi eum.* Tertium sit, quod unctione hac regali adumbrarit divinum numen, velle se, & Reges & sacerdotes, in typum venturi Messiæ, Domini nostri & Salvatoris Iesu Christi, sic inungi; & proinde sacrosanctam quoque dignitatem obtinere. Erat vero futurum venturi Salvatoris munus, & regium & sacerdotale, futura erat potestas illius infinita & super omnia; utque ad Ephesios Apostolus, longe supra omne imperium ac potestatem, & potentiam, & dominationem, & omne nomen, non solum quod nominatur in hoc sæculo, verum etiam in futuro, ut pote cujus pedibus forent omnia subjicienda, quique super omnia in caput esset constituendus. Nemo, sic existimo, tam delirus inveniatur, qui credat, illos & Deos dictos, & filios Excelsi, & Vnctos, ac quidem unctos Domini, unctos oleo Sancto, Omnium Imperatorem, Dominum, monarcham repræsentaturos; populo, super quem constituti erant, substernendos aut fuisse, aut ullo modo substratos fuisse ac submissos, judicari posse. Quartum est, huic cognatum, quod unctos hosce, filii sui typos, ejusdem sui filii typos esse hoc ipso voluerit Deus, quod ut ille Salvator futurus

tus erat universi, & ipsi Salvatores essent istorum populorum, quibus ipsos cum imperio summo destinaret præponendos. Simulatque ad Saulem dixisset Samuel, *Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem*; immediate subjungit, *Et liberabis populum ejus de manu inimicorum ejus, qui in circuitu ejus sunt*: nam & ante dixerat ipsi Samueli Deus, *Unges eum ducem super populum meum Israel, & salvabit populum meum de manu Philistinorum.* Quo respectans magnis in Moralibus D. Gregorius, *Uncti*, inquit, *salvare alios possunt, quia spirituales gratias abundantius perceperunt. Nam qui à Domino ad regendos alios ordinantur, spiritualia charismatum dona, quibus eis prodesse possint, accipiunt; & eis, quos ordine præcedunt, etiam mentis superiores sunt.* Quintum est, quod eosdem; eo ipso, quod unctos suos voluit, etiam sufficienti, potentia præditos armatosq; voluerit, ad ea retundenda, quæ contra quid niti aut moliri, aut possent, aut vellent. Huc spectant illa ad eum directa, cujus typum gerunt, *Confringes eos virga ferrea, ut vas figulinum dissipabis illos*: spectant quæ directe de Regibus dicuntur, *Ira regis nuncius mortis*, Item *Repente insurget ejus ira, quis dicet ei, quid facis?* denique, *Quis in unctum Domini manum immittet, & innocens erit?* de quo etiam argumento jam supra locuti sumus. Sextum, quod non modo probos ac pios Reges, ac neque etiam solos Israeliticos, verum etiam impios & idololatras atque exteros quoque unctos suos appellet, nullo facto discrimine, prorsus ut ex æquo omnes illius uncti & perhibeantur & sint. Exhibet id nobis à vero Dei cultu propalam desciscens

Iehu; nec non in deteſtandam idololatriam Azariel pronus devexuſque, ut in ſacra hiſtoria videre eſt. Quo ne in re ſatis nota, ſuperflua exempla congeramus, teſte Eſaia, cujus ſequuntur verba, *Sic ait Dominus uncto ſuo Cyro, cujus confirmaturus ſum dexteram, ad ſternendas coram eo gentes, &c.* Quem & eodem loco appellat *Virtutem ſuam*: perilluſtri ſane judicio, divinitus quoque valiturum in obſtantia robur ac potentiam illis circumdari, quos ſibi Deus unctos ſuos habere dignatur. Quovis modo, ſi obnoxios illos aliis voluiſſet, non potuiſſent de ipſorum potentia tot ac tanta prædicari, quibus repleti tamen omnes ſunt libri, plena monumenta hiſtoriæ ſanctæ, ſunt oppido quam creberrimæ prophetarum voces, hæc & his ſimilia quam rotundo ore ebuccinantium.

Excipit divinam voluntatem conſtitutio pariter divina: quam qui attenderit, nullo negotio agnoſcet talem, ut ſe ejus beneficio ſupra omnem populum attollat Regum poteſtas. Quidni? cum hæc ipſa voluntati Dei ſic quaquaverſum permixta ſit, ut utraque non conſpirare duntaxat, ſed minimo minus unum idemque eſſe videantur. Primi Iſraelitarum Regis creatio, hujus immediatæ à Deo conſtitutionis ſupra ipſum populum, triplex nobis ſubminiſtrat exemplum: quorum primum Dei, ſecundum populi, noviſſimum Prophetæ. Deum quod tangit, hoc eſt: Audito populi fremitu, cum ſpretis Iudicibus dari ſibi Regem efflagitaret, Saulem in Regum Deus deſtinat, quod populo nec dum apertum, Samueli notum facit: *Revelarat* (ſc. Deus) *auriculam Samuelis unam diem antequam veniret Saul, dicens, hac ipſa hora*

quæ

quæ nunc eſt, cras mittam virum ad te de tribu Benjamin, & unges eum ducem, ſuper populum meum Iſrael: Verba textus ſunt. Quæ niſi Deum ipſum (quod blaſphemum ſit,) mendacii arguimus, fateri nos cogunt, Regem haud alia poteſtate electum, quam quæ populo ſuperior, ſubjectum ſibi illum atque obnoxium haberet: Eoque magis cogunt, quod immediate ab illis verbis, *Vnges inducem ſuper populum meum*, ſe ipſe Deus ita explicet, *Dixit ei Dominus, Ecce vir quem dixeram tibi, iſte dominabitur populo meo.* Quo ſane effato nihil diſertius, nihil explicatius vel excogitari poſſit, vel fingi. Vt in omnibus, ita in hoc ipſo divino judicio calculum adjectum licet videre; ut enim ad Samuelem dixerat, *Non te ſpreverunt ſed me, ne regnem ſuper eos*, ita dominari Regem ſuper ipſos voluit: & ut velle oſtenderet, eodem verbo, quo fere ſemper, uſus eſt. Æquè ac quod ſtatim dicebam, blaſphemum ſit & ſacrilegum, dicere velle, non fuiſſe Deum ſupra populum, aut peculiarem quandam populo fuiſſe poteſtatem, cujus ſe vi potuiſſet opponere conſtitutis à Deo judicibus aut leges eis dictare. Eadem hæc confirmat omnia populi exemplum. Flagitarat populus Regem, qualem habebant cæteræ nationes, qui illos judicaret. At conſtat, nationum quam plurimis imperitatum fuiſſe μάλα παμβασιλικῶς, id quod ſupra dictum; non repeto. Non minus evidens eſt, illa verba, Regem qui judicet nos, idem eſſe, quod, qui cum imperio nobis præſit. Iudicare enim, in ſacris, & regere, idem ſonant. Tale illud Pſalmo 2. *Et nunc erudimini qui judicatis terram*; judicatis, id eſt, ditione atque imperio vobis ſubditam habetis.

 Hoc

Hoc autem eo magis indubium, quia postquam explicuisset populo duram eorum sortem, qui sub regibus agitant, dum, fere semper, omnia sibi in omnes volunt licere & jus suum ex arbitrio voluntatis libidinisque ut plurimum vitiosæ metiuntur ac componunt, cui velis nolis obsecundandum sit; tamen noluit populus audire vocem Samuelis. Ait textus, sed dixit *Nequaquam: Rex enim erit supra nos.* quasi dicat, Esto, asper sit, iniquus, qualem denique descripsisti, talis existat, hic ille est quem nobis dominari velimus; ultra Iudices non laturi; huic nos mancipabimus, fidem, officia, obsequia, debituri, præstituri, ut vere summo Domino nostro ac moderatori. Non minus in propatulo est exemplum Samuelis, qui in Sauli caput oleo effuso, cum esset illum deosculatus, confestim dixit, *Ecce unxit te Dominus super hæreditatem suam in Principem, & liberabis populum suum de manibus inimicorum ejus, qui sunt in circuitu ejus & erit hoc tibi signum, quia unxit te Deus in Principem.* Perinde est ac si & ipse diceret, qui in Principem te unxit, summam potestatem, quam in & super subditos sibi Princeps habet, tibi uncto suo contulit. Nec vero me credas eum esse qui te per hanc unctionem Regem creem, aut futurum esse disignem; Longe hoc:

Major agit Deus atque opera ad majora reservat:

Est hæc ipsa Domini Dei unctio, tibi in veram atque absolutam, veræ itidem atque absolutæ potestatis collationem.

Ab

Ab exemplis ad rem ipſam tranſgredentibus, non poteſt non eſſe certiſſimum, vocem hanc *S*uper neque in ſacra *S*criptura, neque per rerum naturam, aliter aut ſumi, aut explicari poſſe, ut jam ante monere cœpi, pleniuſque oſtendam, quam ut ſeſe attollat atque efferat, ipſa vi ſui atque efficacia, ſuper omnia quæ depreſſiore ſunt gradu. Non temere manifeſtius quid occurrat, aut evidentius, quam illud nonnunquam citatum; & nunc denuo citandum ipſius Dei pronunciatum, *Non te ſpreverunt, ſed me: ne regnem ſuper eos.* in quo & ſubalterni & ſupremi Dominii Majeſtas elucet, & populi conditio, etiam cum vicariis patet, quaquaverſum ab omni dominandi jure procul habita atque excluſa. Eſt adhæc in *S*acris notiſſimum, eſſe hæc ἰσοδυναμοῦντα, Dominari alicui, & eſſe ſuper aliquem. Fidem aſſertioni huic facit Gedeonis exemplum, quem cum olim populus, nec non & filium ejus, ſibi cum imperio præeſſe vellet, ut habet textus, ita compellavit: *Dominare noſtri tu & filius tuus:* Regeſſit autem ille, *Non dominabor veſtri, neque dominabitur in vos filius meus, ſed dominabitur vobis Dominus.* Hic procul omni dubio Gedeoni abſolute ſummam poteſtatem tam obnixæ preces deferunt: neque eas aliter accipit aut intelligit Gedeon, quam in vim ſenſus in quem conceptæ proferuntur; reſpuit illas, juris per eas ſibi facti, jam tum & amittendi & retinendi dominus, ſimulque cum dicto omne dominium ab ſe ablegat ad Deum, & divino imperio, ut pote optimo, & cui tot jam annos aſſueverant acquieſcendum eſſe inſinuat. Huic dominio affine, quin imo prorſus idem

cum

cum illo eſt, quod de Filio ſuo divinitus electo canit David: *Salomonem*, inquit ipſe, *filium meum elegit, ut ſederet in throno Domini ſupra Iſrael*. Quo loco ſedere in throno Domini nihil aliud, quam imperare deſignat: id quod explicans alibi S. Scriptura, *Sedit*, inquit, *Salomon in throno Domini in Regem*. In Novo Fœdere verbum ſuper nunquam aliam ſignificationem habet: in ſe ac ſimpliciter, abſolutum eſt; aliis applicatum, non ponit, niſi quæ inferiora ſunt, obnoxia, ſubjecta. Sic videmus ipſum Salvatorem noſtrum omnino induiſſe perfectam ſibi parendi ſuperiori voluntatem, cum Pilato edicit, nihil ipipſum facere, cujus non ſit ei collata divinitus faciundi poteſtas. Notum eſt ejuſdem mandatum, ſuper vos jugum meum tollite, ſubmittendas jugo cervices, incurvandas, deprimendas oſtendens. Idem ex animis ſuorum omnem eliminaturus ambitionem, cupidinem imperii omnem eradicaturus, verbo dominandi, plane ſimili notatione ac ſignificatu ſua ad diſcipulos allocutione utitur; *Reges*, inquit, *gentium dominantur illis, Vos autem non ſic*. Cui conſonum, Vos inter maximus eſſe qui volet, eſto minimus. Neq; alio ſenſu reſenſetur inter notas τοῦ ἀντικειμένου, quod ſe elaturus ſit ſuper omne quod vocatur Deus. At præcipue citatus nobis Apoſtoli ad Epheſios locus, ubi Domino & Salvatori datum nomen & potentiam ingeminatur, quod ſit ſuper omnia, id quod defendo pervincit. Atque hæc quidem, plura etſi cumulari poſſent, ſufficiant allata ex Sacris. Reliquum eſt ut & hoc conſtet quod dixi; ſcilicet non poſſe hoc verbum aliter accipi per rerum naturam, id eſt, quin in ſenſum communem,

inque

inque naturam ipsam peccaturus sit, qui id aliter accipiendum putarit.

Nemini, opinor fiet credibile, frustra ipsum Deum, aut qui jussa Dei exsequeretur Prophetam, aut quæ de utroque attestatur Sanctam scripturam, verbo illo super toties uti voluisse, quinimo nunquam non aut hoc ipso, aut saltim verbo æquipollente. Quid ergo vult illa toties iterata, toties geminata dictio aliud, quam ut indicet voluntatem enixam, & non luxandi revellendive beneplaciti perpetem constantiam? Exprimit autem tota illius vis atque efficacia, quod non sit inter Regem ac populum mutuus imperandi aut parendi ordo; sed quod obsequii gloria populo relicta, imperium in omnia sit penes unum Regem. Vtique non eum ad modum, quo instituto judicio communi dividundo, controversa hæreditas cernitur, scindi se & in partes dispesci sinit imperii Majestas: unum imperii corpus, unius anima regendum, quod fuit, esse non absistit. Vnum permanet id quod non possit esse, nisi unum. Sed quam adumbravimus intueamur naturam rerum. Dubio procul, qui imperat habet agendi partes, imperatis qui tenetur parere patiendi. Est vero superior ille ac cæteris major omnibus status, Majestatem qui exhibet, indivisum quid; ille cum agat tanquam superior, etiam necesse erit ut patiatur, si quidem habere super se cogatur imperia populi, quibus non possit non obtemperare. Sin vero & populus est super Regem, & ipse quoque Rex est super populum, jam duo dabuntur absolute summa, & erit aut neutrum summum alicujus summi, aut simul utrumque, aut alterno

reciprocæ viciſſitudinis flexu fluxuque, modo hoc ſummum erit ſummi ſui, modo illud, neque unquam ſummum aliquod erit, quod in ac per ſe vere ſummum dici poſſit aut abſolutum. Erit utrumque incrementi ac decrementi non modo capax, ſed & creſcendi ac decreſcendi neceſſitatibus obnoxium. Quo ſi abripimur, videat vel quivis, cumulari hic abſurda plura, quam fiant verba. Et quidem tali in ſtatu, vel per umbram ſomnii abſonum ſit atque abſurdum, ſibi quid permanſurum imaginari velle. Detur, quod omnino frequens, populo & Regi, utrimque ſummis, inter ſe diſconvenire. Vbi boni non modo, ac qualem decet, ſed vel ullius ordinis vola ſuperſit aut veſtigium? Nuſquam certe. Condidit interim Deus & regna & reſpublicas in ſpem cujuſdam velut æternitatis; eſtque, ut alibi virorum ſummus, haud aliud duraturæ ſemper reipublicæ potentius argumentum, quam quod duravit. At nos docuit per unigenitum ſuum ille ipſe Deus, omne regnum, quod in ſe diviſum, eſt, iri deſolatum. Quare & nobis quod dicamus nihil ſupereſſe poteſt, præter hoc unum, noluiſſe Deum dari ſummo uno ſummum majus, idque vitandi diſſenſus ergo, & averuncandis incommodis, quæ ex iſtiuſmodi animorum divortiis, quorum mater nimio quam fæcunda eſt unitas in partes ſciſſa ac divulſa, poſſent enaſci. Summum vero hoc an unum ſit perſona ut in politeumate monarchico, an unum corpore, ut in polycratico, non facit ad ſummam rerum, dum modo ſit unum, abſolutum, liberum, impendens, nec quidquam detur, quod illud exæquet, nedum ut ſuperet. Quæ jam dicta de mutuo

tuo

tuo diſſenſu tanto, fortius urgeri æquum eſt, quanto plures ſub manu ex aſſertione contraria difficultates emergunt, & cum difficultatibus, abſurda: namque aut erit diſſenſus ille perpetus, ut ſolet fere ſemper qua deſinit incipere, & ſe ipſum reſeminare; & erunt duo illa ſine miſſione inter ſe certatura, atque obverſis armis ſine fine committenda: aut temporaneus, & decedet, ſi dis placet, ſummo illi, quod tempore prius fingimus, ſummum poſterius; prius vero illud, inducto atque extincto poſteriore illo, ut è cineribus ſuis alter Phœnix, recolliget ſe, reſurgetque, ac poſtliminio velut, redibit ad vires virtuteſque ſuas, tantiſper vi majore adobrutas, ac tantum non ſepultas. Quin etiam, ſi, quod omnino debemus, ſurſum oculos elevare lubet, ultro ſe nobis oggeret quod huic noſtræ, quam tuemur, veritati patrocinetur. Tres quidem imumenſo ac ſummo in numine ſunt hypoſtaſes; ſed non ſunt tres illæ, niſi unus Deus. Soles duos (quod & in diverbio) cælum non fert. Plures quidem viſos, ipſis, qui hæc ad poſteros tranſmiſere ſcriptoribus, pro oſtento narratur; ſed enimvero non fuit eadem cæteris, quæ noſtro Soli, ſumma lux, non calor idem, nedum ſummus; & finem ſi ſpectamus, in unum coaluere. Dei ergo exemplum cum intuemur, memoria repetamus, à Regibus id exprimi: attendamus etiam, quadam ſui imagine terreſtrem hanc; politiam cœleſtem referre. Quod & utrumque neceſſe eſt. Nemo ſibi imperandi genus firmum, ſtabile, diuturum, ſpondere auſit, quod non divini ſimulachrum gerat, & cœlici ordinis harmoniam, ei velut correſpondendo, repræſentet.

Sin ad exemplum à ſole allatum convertimur, fraudi ne ſit cum Poëta dixiſſe,

Solem quis dicere falſum
Audeat?

Plane ad diſciplinam mundi ſuperioris, ordinata eſt iſta inferioris mundi, quam eodem (ſed ſuo utcumque & ſibi convenienti) ordine cenſeri debere, nemo politicorum eſt, qui non obſervarit. Quod & ipſum jure merito. Qui nos inter patres inſigni exemplo eo vocat, eſt ſuo de idolorum vanitate tractatu Cyprianus; quo monente docemur, *æquiſſimum eſſe, ut quemadmodum ad divinum imperium, de terrenis mutuamur exemplum; ſic cæleſtis imperii ſimilitudine, terrena metiamur.* Exclamat alibi Boëthius,

O Fœlix hominum genus,
Si veſtros animos amor,
Quo cælum regitur regat!

In politia hoc locum habet, ubi Claudiani verbis,

Non ſic excubiæ, non circumſtantia tela,
Quantum tutatur amor.

Quid autem ad amorem hunc retinendum magis neceſſarium, quam ne Regum populique inter ſe Majeſtates committamus: vero enim verius hoc profectum cœlitus effatum eſt, Neminem duobus ſimul Dominis inſervire poſſe; fore enim, odio illum ut habeat, hunc amet. Eliminandum hoc igitur è ſocietate generis humani. Si qui ſinguli de populo futuri ſunt, (neque enim quæ in univerſo populo fingitur eſſe Majeſtas, in ſingulis ſit) certe

certe ji nesciant necesse est, quem ad modum se sint composituri. Hi enim aut hærebunt ambigui, aut ibunt in partes. Sin prius, parum firma ibi rerum summę tutela, parum tuta custodia. Sin posterius, non erit alia fœcundior seges factionum, seditionum, bellorum civilium, & quæ mala omnia ambitu suo stringunt confusionũ. Est porro in hanc rem intra naturalia stantibus etiã amplius dicendum, nimirum, non posse dari summi alicujus summum, nisi cum præsentaneo prioris interitu. Fere simile est, nec minus naturale, quod calorem minorem perimat major, astra minora lunæ decedant, Luna Soli, corpora quantum libet ardua atque excelsa, procerioribus admotis decrescant. Ergo etiam si demus, fuisse populo jus illud summæ potestatis, simul atque Rex super populum constitutus est, illud esse desiit, & demigravit ad Regem. Nugæ meræ sunt, si quis dicat, reservare illud sibi populum ac retinere: quod enim à populo retinetur Rex habere non potest: in quo super populum Rex est constitutus, nullum retinendi populo jus relictum est: non possunt ejusdem rei in solidum esse aut Domini aut possessores. Quidquid hic præcipuum habiturus est, de summo populi jure delibabit; quidquid populus, Regi decedet: neutrum summum erit, quomodocumque tandem apud unum ex illis aut extabit, aut habebitur. Ac quia nec summum erit, ideo neque erit perfectum. Posita enim commixtione aut confusione istiusmodi, non est ut se ipsum terminet aut absolvat. Est, ut didicimus, id demum perfectum, in quo re apse concurrunt omnia, quæ essentialia sunt requisita perfectioni constituendæ, &

perfectum demum id unum dicitur, in quo uno sunt omnia. Superadiungit sese jam demonstratis, etiam ratio politicæ necessitatis. Quippe cum in administranda rerum summa talis ac tanta sit negotiorum, ut unda undam se glomerantium ac protrudentium, moles, ut pluribus opus sit regni ac dominationis instrumentis, puta officialibus, ministris, magistratibus subalternis; hi vero se ipsos creare non possint, neque sibi ipsis officii normam aut formam præscribere, & quos non excedant limites præfinire; reliquum est, ut ab uno summo illi nanciscantur hoc, in quod destinandi sunt, quodque erunt, futuri scilicet id ipsum quod illi placuerit, quinimo, unde vi ac potentia summæ illius potestatis educti abductique sunt eodem reducendi, vel ad nutum, ac toties quoties visum erit. Hi, ut ut vel à Rege proximi, & uno eo minores, imperium in subdita sibi quidem exercent, sed demandatum; jurisdictionem, sed delegatam; & ut verbo absolvam, stant intra præscriptos officiorum fines: supremam vero illam potestatem non attingunt vel afficiunt: etiam si vel ad unum omnes, atque eodem momento loco atque ordine movere consultum videatur, solido non eo secius stabit imperii majestas. Apposite huc quadret, quod est apud Lucanum Cæsaris ad milites tumultuantes,

Si cuncta minentur
Flumina, quotquot habent pelago subducere fontes,
Non magis ablatis unquam decresceret æquor,
Quam nunc crescit aquis.

Lucano

Lucano Senecam jungamus. Sic ille. *Quemadmodum totum corpus animo deservit, & manus, pedes, oculi, negotium illi gerunt; illum hæc cutis tegit, illius jussu jacemus, aut inquieti discurrimus: ille cum imperavit, sive avarus dominus est, mare lucri causa scrutamur, sive ambitiosus, jam dudum dexteram flammis objecimus, aut voluntarie subsilivimus: Sic immensa populi multitudo, unius animæ circumdata, illius spiritu regitur, illius ratione flectitur, pressura se ac fractura viribus suis, nisi consilio sustineretur.* Neque certius ergo quippiam, quam cum populus agat sub imperio Magistratuum, Magistratus sub imperio Regum, Reges sub imperio nullius, quam Dei, qui eos super populum constituit; non esse ullam in populo aut penes eum potestatem, quæ non quanta quanta est Regi sit subjecta: imo ne nomen quidem ullum potestatis, quæ super Regem aliquod regnum affectet, in populo consistat, aut subsistat. Vbi ad Regem ventum est, ejus & nomen & jus non secus amittit populus, quam ubi ad maris ostia, à quo profluxerunt flumina, quo cum, ut ille ait, fessas erroribus undas deduxerint, ab ipso inundantur atque obruuntur; ita ut mare denuo fiant. Quovis modo, si quid esse dicendum est etiam in ipsis qui populo præsunt Magistratibus, id summæ potestati decedat oportet. Sunt in omni bene composito statu, sui ordinum gradus, ac dignitatum. Sic (alios omnes ut omittam) prisco Romanorum instituto, jus non erat, ut majus imperium rogaretur à minori. Non Consules, aut Prætores Censoribus, non Censores Consulibus aut Prætoribus auspicia aut turbare, aut retimere potuerunt. Majores quidem Magi-

Magistratus à minoribus, non versa vice minores Magistratus à majoribus, poterant avocare concionem. Atque hoc id demum est, quod habet, hic nobis repetendum sapientis effatum, esse altum altis superiorem, altissimum esse super illos. Quod quidem, ad sibi subdita facta relatione, tam de Rege, quam de ipso Deo, convenienter & intelligi & dici potest. Sed de his satis, pergamus ad ulteriora. Incunctabiliter hanc assertionem firmat, id, quod statim ab initio hujus dissertationis dici à me cœptum: Deum nempe, quæ ad universi ejusque partium, conservationem ac gubernationem, à se concepta, decreta, atque conclusa sunt, sæpe admodum per Reges, ut dilecta sibi ac destinata organa, potenter explicare, & ad fines suos perducere. Illo autem ipso non aliud valentius evincat & pervincat, esse Reges à Deo immediate, esse eosdem sæpenumero organa immediata ipsius Dei, idque pro absoluto illius beneplacito, nulla populi, nulla regni, nulla cujuscunque demum rei attenta ratione, nisi illius liberrimæ voluntatis atque arbitrii, pro cujus clementissima ac prudentissima dispensatione fiunt omnia, quæcumque toto terrarum orbe fieri cernuntur. Quod etsi in tota passim regni Israelitici historia manifestario videre est, quo tamen ne unius hujus gentis ambitu inclusi, & velut fasciis involuti videamur; etsi necesse non sit argumento valido per se atque inconcusso, ut pote generali, robur aliquod aut præsidium mutuari à particularibus exemplis; sodes, in manus sumamus Esaiæ Prophetæ caput XLV. Certus sum, fore, qua se unquam inanimos nostros penetravit assertio veritatis,

tatis, aut erit hæc ipsa, aut posthanc, nullam, quæ id præstet, datum iri. *Sic ait Dominus Uncto suo Cyro*: At cui Cyro? qui non erat in rerum natura; quique adhæc toto gemini sæculi, & quod excurrit, decursu, nondum in rerum natura erat futurus. Dicitur autem jam tum unctus: & quidem haud disparem ad modum, quo filius patre è vivis sublato, dicitur hæres suus; itidem omnium dominatori Deo suus unctus appellatur. Quid quod & Theologorum inter eximios nonnullus unctum explicat vocatum, & institutum divinitus ad perficiendam voluntatem Dei. Sequitur, (*Confirmaturus sum dexteram*. At cujus, sodes, hæc futura est dextera? Sin hic dextera Dei designatur, ad magnifice attollendum Cyrum confirmanda, plane pro immediato haberi debet, quidquid illius futurum est confirmationis, neque est quod populus Deo, Cyrum summo cum imperio ipsi præpositum volenti, obmurmuret. Sin vero dextera illa Cyri est, quæ divinitus confirmanda prædicitur, æque immediatum erit, neque magis quid adversus Cyrum, quam adversus Deum ipsum, obtendendi juris populo potuit superesse. Verum enimvero nulla confirmata dextera opus erat, si quidem popularibus imperiis, ille, longe lateque dominator Rex, esset substernendus. Certe non sinant hoc illa quæ sequuntur. *Ad sternendum coram eo gentes, ut lumbos Regum dissolvam, ad aperiendum coram eo valvas, ut coram eo non occludantur*. Demus, quod vel in cogitationem demisisse nefas, populum intercessurum fuisse, obtensurum fuisse aliquod hujus farinæ cerebrinum jus, sive suum illud, sive inhærens, sive reservatum, sive quod hebeat à se

non abdicandum, sive qualecunque tandem stulta verminantium cerebrorum subtilitas comminisci posset aut protrudere, quid ad hæc Deus? *Ego* inquit *tibi* (supple Cyro uncto meo) *præiturus sum, & in æqualia æquaturus, valvas chalybeas fracturus, & vectes ferreos succisurus, daturusque tibi thesauros abstrussimos, & repositas opes abditissimas.* Quare autem est, quod hæc talia ac tanta Deus offerat, ostentet, promittat? *Ut cognoscas tu Dominum,* inquit. Sed quem illum? *Qui vocat te*, sic textus, *Deum Israelis esse.* Noverunt omnes id temporis nihil liberandis ope Cyri Iudæis, intercessisse commercii cum Cyro, non magis, quam Medorum genti cum Israelitis: & versa vice: neque dicat quis temere cur Medi, qui haud ulli bono sibi fore prospicerent, si caussa gentis ignotæ, quæ suæ tutelæ, suæ libertati superesse non poterat, se vitam suam, sanguinem, uxores, liberos, spem posteritatis, aras, focos, divina, humana omnia impendenda sibi putarent; id fuerint facturi, si modo quid penes ipsos juris erat, Cyrum tam vasta designantem inhibendi, si non erant ignari plus sibi in Cyrum licere, quam illi in sibi subditos. Pergit Sacer Codex, *Propter servum meum Iacobum, & electum meum Israelem, propterea me vocasse te nomine tuo.* Stupeat non immerito omnis homo ad immensam divinorum judiciorum profunditatem, cum etiam minuta ac remota summis miraculis assurgere venerabundus intuetur. Cum vult Deus, ut cognoscat Cyrus, se, divinitus, & ignorantem, & sui, & multo magis illius Dei, à nomine suo fuisse vocatum; insinuat, à quo etiam vix abeunt Herodotus ac Iustinus, proprium nomen Cyro fuisse

fuisse *Spaco*, quæ vox Medorum lingua Canem sonat: occasionem scilicet nominis præbente cane, quæ expositi infantis ori ubera sua immulserat. Ejusdem divinæ Magnitudinis & providentiæ est, quod mox textus, *Et* supple, cognoscas me qui te de nomine tuo vocarim ignorantem) *cognominasse* te: Dictus ergo, & ignorans ipse, ita adgubernante Deo, Coresch sive Cyrus. Est vero nomen Coresch, Persis omnino perquam. honorificum, & eminentiæ gradum ferens. Coresch quippe tantundem ac Dominus: Neque alia quoque ratione Solem, quem præ cæteris eximium habent Persæ, colunt: illum Coresch appellant. Geminato testatur Deus hoc capite, *factum id à se, quamvis id Cyro esset ignotum*. Et quo nequid populus, ullius sibi potestatis in Regem conferendæ temerario ausu juris aut potentiæ præsumat, *Ego*, inquit, *Dominus, & nullus præterea, præter me nullus Deus, accingo te* (diligenter verba hæc perpendantur) *quamvis ignores me*. Factum ergo, quodcunque hoc est, libere, pro absoluto beneplacito, & immoto summi numinis decreto, in quod citra manifestissimum, sacrilegium, aut hoc siquid pejus est, involare nulli liberum sit. Patet id vero ex sequentibus etiamnum disertius. Testatur Deus facere se *id, ut cognoscant gentes ab ortu solis, & ab occasu ejus nullum esse præter se, se Dominum esse, & nullum præterea: se formantem lucem, creantem tenebras, se facientem pacem, & creantem malum, se dominum ista omnia facere*. Simul etiamnum adhæc, ut appareat, quam stent illa Deo firma, quam fixa, atque inconvulsa: postquam quis, quantusque esset deprædicavit, *Ego*, inquit,

excitaturus sum illum juste, & omnes vias ejus æquaturus; ipse reædificaturus est civitatem meam, & deportatos meos remissurus. Item mox d. c. *Ad te transibunt, te sequentur, compediti transibunt, tibi se in curvabunt, te deprecabuntur, dicentes, tantum in te est Deus fortis, & nullus est præterea, nusquam præterea est Deus.* Vtique si non erat futurus super populum, ac gentes sibi subditas, Cyrus, perververse, *Tantum est in te Deus fortis*; dicendum erat tantum in te, & populo tuo, aut quod Publicolis magis arrideat, tantum in populo tuo, qui te super est, qui tibi nervos, toros, lacertos, totum robur impendit ac præbet, est Deus fortis. Illud etiam populi cujuscunque exclusivum, Nullus est præterea, nusquam est præterea Deus, quo ne sequius quid dicatur, omnino esset supervacuum. Revertamur ad Cyrum. Author est Iosephus Antiquitatum Iudicarum lib. 11. Cyri ad notitiam vaticinium hoc pervenisse decennio demum post elapsum geminum sæculum, idque ex ipsius prophetæ lectione; cumque se signari videret, se cœlitus portendi poscique, stupuisse quidem, sed & ardore prorsus entheo inflammatum ea exsequendi, quæ tanto jam ante tempore de se videret perscripta. Est etiam alterum hac in historia, merito quod stupeamus; nempe quod per se, & ad nudam ignoti scriptoris lectionem Cyrum hæc ipsa adegerunt, primo ut Deum vivum agnosceret: secundo ut agnosceret non temerandæ autoritatis impulsorem, ad institutum hac tantum tamque momentosum, & suscipiendum, & exsecutioni mandandum, quoque palmarium est, agnosceret quoque ac profiteretur,

tur, ignotum illum sibi Deum, hunc eundem esse, qui se ad fastigium regale ab expostitiæ sorte conditionis, sublimem evexerat. qua de re hæc ipsius Cyri verba in sacris referuntur, *Omnia regna terræ dedit mihi Dominus cæli, ut reædificarem domum in Hierusalem*. Si quis requirat, ecqualis nam divinam hanc voluntatem exceperit successus; testatur aperte Herodotus de Cyro, fuisse supra hominem, tum genituram illius, tum expositi conservationem, tum regnantis, qua adversus hostes usus est fœlicitatem. *Quamcumque gentem invadebat*, (ipsa verba sunt) *ea gens nullo pacto evadebat*. Est, ut videmus, hoc Cyri exemplum omnino tale, ut negari non possit, vel in illo sola Dei, voluntate attenta, indubiam necessitatem habere, ut ita constituti Regis, & absoluté Domini, pro absolutissimo jure agentis, instrumenta, libere agant, & impendenter, & ab omnibus omnino jubjectionis cujuscumque demum vinculis liberi solutique.

Addamus & alterum exemplum Regis, sed qui in sacra pagina quam pessime audit, Nebucadnezaris, quem nemo fere est qui non ut immanem, & plusquam belluina feritate tyrannum proscindat: quem tamen non uno loco Deus servum suum vocat, in cujus ipsius consideratione libet, & vero est ex orbis Christiani bono, pedem paulisper defigere, quo prorsus illis penitusque omne effugium tollatur, qui quam optimis etiam Regibus super aut in populum ægre concedunt potestatem, statuunt vero malis, omnino & quacunque ratione etiam per vim armatam, insidias, venena, sicas, aliter si

non pote, adimendam. Non potest dari illustrius aliquod specimen, aut spectari clarius exemplum divini circa absolute summam hanc potestatem beneplaciti, quam in Nebucadnezare. Ipso videlicet Deo, gentibus quam multis, & regibus, quibus non? per Prophetam suum laqueum mandante, cui colla induant, strangulandi Nebucadnezaris ad nutum, nisi, quod potius, ipsi in servitutem se illi emancipent, ac incumbens sibi ac regnis suis malum, tam propudioso obsequio, etiam ultro, ac sua sponte permutent. Verba audiamus. *Ego* (sic apud Hieremiam Deus) *feci terram, homines, & jumenta quæ sunt in superficie terræ, virtute mea maxima, & brachio meo extento. Ideo trado illam cui rectum videtur in oculis meis. Nunc ego itaque trado omnes regiones istas in manum Nebucadnezaris Regis Babyloniæ servi mei, quin etiam bestias agri trado &, ut serviant ipsi. Servient autem ei omnes gentes, filioque ejus, & nepoti ejus, donec adveniet tempus terræ ipsius etiam illud, quum servitutem ab eo exigent gentes amplæ & Reges magni. Erit igitur ut in gentem illam, & in regnum illud, quæ non servient ipsi Regi Nebucadnezari, Regi Babyloniæ, & non indet collum suum jugo Regis Babyloniæ, gladio, peste, ac fame animadvertam in gentem illam, dictum Domini, donec consumserit eas manus ipsius. Vos ergo ne auscultetis prophetis vestris, aut divinis vestris, aut somniis vestris, aut planetariis vestris, qui alloquuntur vos, dicendo non estis servituri Regi Babyloniæ. Nam falsum isti prophetant vobis, ut longe vos abducam à terra vestra, & quum depulero pereatis. Gentem vero illam quæ indet collum suum in jugum Regis Babyloniæ, & serviet Regi Babyloniæ ipsum utique relinquam in terra sua, dicit Dominus, ut colat illam*

lam & habitet in ea. Hactenus apud prophetam Deus. Quem hæc agentem, videmus certe agere pro jure ſuo, non in creaturas duntaxat hac aut illas, in abſtracto, ſingula individua, ſed in populos, gentes, cum regnis Reges, & ut verbo, in omnia. Cum autem dicit, illa ſe tradere cui rectum videtur in oculis ſuis, cum dare in manum ut ſerviant, dare in manum etiam beſtias agri, cum ſe gladio, peſte, fame, in inobedientes deſæviturum edicit, cum manu illius in cujus poteſtatem tranſiere conſumendos, nonne ſatis demonſtrat abſolutiſſimam illius ſuper populum poteſtatem? nonne, velle ſeſe, ut abſolutiſſima ſit, & omnibus numeris perfecta? nonne commodare ſeſe ſummis poteſtatibus, à ſe conſtitutis, robur ac vires, contundendis, ac manu ſua contundendis rebellibus ſuffecturas? Dicendum omnino: neque quid ultra huic compertiſſimæ veritati contra loquendum. Quapropter & hoc argumentum noſtrum authoritate candidiſſimi juxta & pientiſſimi Theologi concludo. *Hos* (ſupple Deo acceptos gubernatores) *cum conſtet à Deo adjutos eſſe, gubernationem eſſe opus & beneficium Dei manifeſtum eſt. Addam autem & heroicos inter Ethnicos viros ardentibus à Deo motibus & ad virtutem excitatos, & in rebus gerendis adjutos, quales Alexander, Scipio, Auguſtus. Talium virorum in rebus geſtis mirandi eventus omnes prudentes moverunt, ut faterentur habere eos impetus meliores & feliciores, quam reliquam multitudinem. Unde & Cicero, nullum fuiſſe virum magnum ut ſine afflatu divino. Cumque ad conſtituenda imperia aut inſtauranda, & ad politias ac artes reſtituendas, Deus inſerat ſingulares motus talibus ducibus aut artificibus, manifeſtum teſtimonium*

monium ostendit suæ præsentiæ in politiis, sicut Plato quarto de Legibus inquit: Quemadmodum boves non à bobus, nec capræ à capris reguntur, sed à præstantiore natura, videlicet ab hominibus, sic natura humana infirmior est, quam ut se ipsam regere possit. Quare Deus præfecit civitatibus non homines, sed præstantius & divinius quoddam genus, heroas videlicet; qui cum habeant ipsi prosperos successus nobis quoque imperia eorum grata & facilia sunt: Hi ita curant nos, ut pacem, pudorem, libertatem conservent. Additque, *Verum est dictum, ubi non Deus, sed mortalis aliquis dominatur, ibi malorum & ærumnarum nullum est effugium. Sapientissime, & verissime hæc à Platone proferuntur, cujus hæc digna quæ intimis sensibus infigantur:* λέγει δὴ καὶ νῦν οὗτος ὁ λόγος ἀληθείᾳ χρώμενος: ὡς ὅσων ἂν πόλεων μὴ θεὸς ἀλλά τις ἄρχῃ θνητός, οὐκ ἔστι κακῶν αὐταῖς οὐδὲ πόνων ἀνάφυξις. Aliud insuper argumentum est, quod ipso Regis nomine posito manifestum fiat, esse Regem populo sibi subjecto superiorem, & quia regit & qua regit. Sic in Sacris male concilati Iosepho fratres, *Numquid Rex noster eris? Numquid ditioni tuæ, subjicemur?* rogitant. Longe diversa, atque omnino alia ratio esset, si Rex aliter considerari non posset, quam ac si dumtaxat populi quem regit Rex esset. Certe quemadmodum homo non est creatus, ut sit finis hominis, nimirum, alterius alicujus, qui æque atque ipse est homo est, ad perfectionem ut eat; plane ad eundem modum, neque ob id creatus, electus, constitutus Rex est, uti sic ad perfectionem populi, cui cum imperio præest contendat, atque enitatur, qualiter docemur, intendi media ad perfectionem sui finis. Verbo dicam, ideo creatus, electus constitus est, ut sit Dei minister, ut loco Dei, ipse illius

seu

ſeu legatus, ſeu vicarius populo ſibi commiſſo in bonum, qua ſibi relinquitur, cuncta moderetur ac regat: ſin & aliter Deo viſum, ex illius arbitrio & voluntate ſe componat cujus imperata exſequitur, quique cum habeat cor illius in manu ſua, ipſemet teſtatur, ſeſe illud ut rivulos & ſcaturigines aquarum inclinare. Vnde & impius agnoſcatur eſſe, qui ſe, ſupra Regem, qui Deus hoc ipſo ſenſu dicitur, efferre conetur. At hæc ne quis nova putet, &, qui loquendi mos, gratis ſic dicta, expendantur, quæſo talia ſacri textus dicta, quale hoc exſtat de Salomone, quod ſederit ſuper ſolium Domini in Regem: quo nihil apertius demonſtret, ſolium Regis in ſacris non minus accipi pro ſolio ipſius Dei, quam pro ſede aut ſolio Regis. Item illud Dei ad Samuelem, Non te rejecerunt, ſed me, ne regnem ſuper ipſos; eſſe eos Dei miniſtros probat, dum nimirum populi ad importunas efflagitationes. Regem, qui ſui vice fungatur, ſubſtituit, non ipſum dumtaxat ſuper populum, ſed & ſuper ipſas quoque leges. & ut omnia verbo complectar, poteſtate abſolute ſumma atque hoc ipſo quod eſſet abſolute ſumma, expreſſura Deum authorem ſuum. Quo nihil manifeſtius, quam in ipſorum judirum perſonis, qui cum non nimiæ eſſent authoritatis, cuncta ad Deum referebant, & divinitus inſtructi paratique, ex ipſius Dei præſcripto commiſſa exſequebantur, Deum præſediſſe: quod Rege dato quodammodo ceſſavit. Habebat enim hunc ſibi populum peculiarem, electum, hæreditatem ſuam, ipſe ejuſdem Rex dominuſque erat, judices inſtrumenta regnandi, non populi quidé illa, ſed Dei

regnantis. Hoc ministerium Iudicum à Deo mandatorum populus cum respueret, etiam in ipsum Deum injurius fuit. Atque hoc est, quod se summus ille populi rector rejectum non semel indignatur, quo ne super eos regnet, insinuans procul habitis judicibus se procul haberi, contemni regimen suum, quod bonitate omnibus cæteris longe antestaret, efflagitato Rege ad instar aliarum gentium, quibus arbitria Regum pro legibus habebantur. Ex adverso, si Samuele jam in senium devexo, filiorum ipsius mores non ferens, alios sibi postulasset judices dari, si nihil innovasset, si visset ipsi Deo imperium ac regimen suum curæ esse, Regemq; non extorsisset, talem, qualem cæteræ gentes habebant, jam neque peccare poterant. Nulla si quidem injuria Deo fit, simpliciter postulato Rege, modo nihil altius subsit. Neque Rex, ut Rex, per se malum quid est: quinimo testis est sacra scriptura, ut Abrahamo inter benedictiones benignum numen accenseat, quod *ex ipso Reges essent egressuri*: Iacobo itidem dictum, *Reges de lumbis tuis egredientur*: Iudæ, *Non auferetur sceptrum de Iuda*. Adde, quod Deus Regem quandoque constituendum, præsago dictamine, populo suo jam ante insinuasset, ejus creandi facultatem suis mandatis circum sepsisset. Sic enim ait, *Eum constitues, quem Deus tibi elegerit de medio fratrum tuorum*. Quam autem politicam illam potestatem, sibi ministram voluerit Deus, argumento sit politicarum, quas ipse tulit, legum primiceria, quæ & indubium ordinis politici est caput. Non simpliciter dictum est, *Quicunque effuderit sanguinem hominis, effundetur sanguis illius*; quod sufficere poterat,

poterat, & Deo sic volenti facile erat, atque in proclivi: sed disertim habet textus, *Ejus sanguis effundetur per hominem.* Quis vero ille homo, nisi Dei minister futurus, atque illo ipso actu, & de facto minister? quis è ministris præter eum, qui ordinatio divina cum sit, ipse ex Deo est, quin imo non est nisi ex Deo, neque frustra gladium gestat? Cum ipso illo ordine (fatendum quod res est) divinitus; immediate Magistratus est à Deo constitutus, ut ex præcepto scilicet ejus Domini sui, cui jus administrat, eum de medio tollat, qui suum per scelus, jam ante à medio sustulit hominem ad imaginem Deo creatum, omnium Dominum, Deo suum hæredem.

Huc usque ergo perfectissimam manuductionem sequuti, qua nempe ad Regum omnium futurum Regem, ac venturum Messiam suspirans anhelansque Ecclesia, quam gloriosissimo epiphonemate acclamat apud Prophetam *Dominus Iudex noster, Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster*; ostendimus, judicia summarum potestatum, sub se personas & res Ecclesiasticorum ditione sua compræhendere; demonstravimus, ipsarum legum fontem ac scaturiginem, supra quaslibet leges esse; pervicimus, fieri non posse, ut Regem sibi populum habeat, qui ipse super populum Rex sit. Superest, ut duo velut corollaria ex jam dictis exstruamus. Primum est, Regum, in tanta potentia, cum primis arduam esse stationem, eamque habendam cum cura atque adeo in timore & tremore. Posterius, populo, nulla de causa, fas liberumve esse, temerare nedum violare obedientiam, quam suo Regi debet. Claudat totum caput aureum Tertulliani ad Scapulam

pulam effatum, *Reges in solius Dei potestate sunt, à quo sunt, à quo sunt secundi, post quem primi, ante omnes, & super omnes Deos & homines.*

Cap. VIII.
Regum arduam esse stationem; eoque habendam cum cura.



Vm arduam Regum dico esse stationem, & cum cura habendam, non hoc volo, arduum cum primis atque expositum fortutunæ esse regendi cuncta onus: ut nec illud Nazianzeni, fatentis artem quandam artium, & scientiam scientiarum sibi esse visam, regere hominem, animal omnium maxime varium & multiplex: sed cum in hoc mundo, communi quadam civitate Dei hominumque, in qua Reges, ipsi Deo propiore cognatione, communione, & agnatione attinentur, nihil esse difficilius, quam tanto muneri respondere; tum & ipsis necessitatem incumbere, ut nec Dei de se judicio desint, & stationem, in qua se divinitus collocatos agnocunt, tueantur. Hujus vero corollarii veritas, utinam quam est evidens, tam animis quoque omnium Regum atque imperantium infixa, insculpta, atque inusta esset. Est ejus etiam tanta ac tam manifesta justitia, ut sese animis facilius ac mentibus repræsentet, quam verbis repræsentari patiatur. Qui ergo sese proximum Deo novit, & hoc ipso nomine ei famulari quam promptissime debet: præcipue, qua ipsum Deum colit, ut Dominum suum, quaque, insuper tanquam divinus minister omnia & singula peragit

ragit atque exsecutioni mandat, quæ Deum fieri velle sibi proponit; & qua proponit, etiam fieri debere, totus credit statuitque. Hic, quicquid adultus, perfectus, atque consummatus, animi se penitus commoveri sentientis impulsus, faciundum dictabit, præsto sit. Vocem loquentis Dei cum audiet, cor ne obduret. Turpis & exitiosa est in illis omnis mora, quæ non nisi per actum laudantur. *Omnes homines,* ait adversus Petilianum Augustinus, *servire Deo debent, aliter communi conditione, qua homines sunt, aliter diversis donis, quod ille aliud agat in rebus humanis, ille aliud. Non enim auferenda idola de terra, quod ante tanto prædictum est, posset quisquam jubere privatus. Habent ergo Reges, excepta generis humani societate, eo ipso quod Reges sunt, unde sic Domino serviant, quomodo non possunt, qui Reges non sunt.* Nõ est quod illum insolita hæc circa remorentur, non est ut formidet quempiam læsura: ante omnia, non est, ut quoquo pacto aut insuper habeat, aüt negligat, quæ acto profundum sulco sic animo suo sentit impressa: Deus illi sequendus, divina premat vestigia necesse est, iisque inhæreat. At hoc ipsum animo qui metitur, facile pervidet, esse id Regi rudimentũ non molle, præsertim inter tot amfractus, abyssos, præcipitia & symplegades gravissimorum, quæ secum regnum trahit, negotiorum; decumani quorum fluctus, sibi semper superveniunt, se semper trudunt, undique circumfunduntur, incumbunt, premunt. Est illi contra hæc omnia emoliendus animus altior qui sit, & urgentibus obnixus, commasculandus idem, & firmandus exemplis constantibus; quo tectus adversum fortuita, sui potens, & adversis rerum immersabilis undis, rectum te-

neat clavum, ei affixus atque inhærens repellat incursura. Id autem rite recteque ut præstet, non aliud ipsi præsidium est præsentius, quam à vera virtute. Veram cum dico, cordatam volo, stantem solido, inconcussam: sed & illam cui maximum sit momentum ab animo intus intra se fovente conscientiam pulcherrimarum rerum, in quas indesinenter feratur. Idem quem modo citabamus præsul, tractatu de abusionum gradibus, pulcherrime in hanc rem, sic disserit: *Nihil proficit habere*, inquit, *dominandi potestatem, si Dominus non habet virtutis regiorem. Sed hic virtutis rigor, non tam exteriori fortitudine quæ & ipsis sæcularibus Dominis necessaria est, indiget, quam animi interiori fortitudine bonis moribus, exerceri debet. Sæpe enim dominandi fortitudo, per animi negligentiam perditur, sicut de Heli sacerdote factum fuisse comprobatur: qui cum per severitatem judicii, peccantes filios non coercuit, in eorum vindictam velut consentienti, Dominus ferociter non pepercit. Tria ergo necessaria hos qui dominantur habere oportet, terrorem scilicet, ordinationem, & amorem: nisi enim ametur Dominus & metuatur, ordinatio illius minime stare poterit. Per beneficia ergo & affabilitatem procuret, ut diligatur; & per justas vindictas, non propriæ injuriæ, sed legis Dei, studeat, ut metuatur. Propterea quoque dum multi pendent ab eo, ipse Deo adhærere debet, qui illum in ducatu constituit, qui ad portanda multorum onera, ipsum veluti fortiorem solidavit. Paxillus enim nisi bene fixus firmiterque alicui fortiori adhæreat, omne quod in eo pendet, cito dilabitur, & ipse solutus à rigore suæ firmitatis, cum oneribus ad terram delabitur. Sic & Princeps, nisi suo conditori pertinaciter adhæserit, & ipse & omnis qui ei consentit, cito deperit. Quidam*

nam-

namque per dominandi officium plus Deo appropinquant, quidam imposito sibi dignitatis honore deteriores fiunt. Moses enim accepto populi ducatu, familiarius Dei allocutionibus utebatur: Saul vero filius Cis, postquam sceptrum suscepit, per inobedientiæ superbiam Deum offendit. Rex Salomon, postquam patris sui Domini David sedem obtinuit, Deus illum supra omnes mortales, velut ad innumerosi populi gubernationem, sapientiæ munere ditavit. E contrario Hieroboam servus Salomonis, postquam regni domus David partem occupavit, ad idolorum culturam, decem tribus Israel, quæ erant in parte Samariæ, divertit. Per quæ exempla evidenter ostenditur, quosdam in sublimiori statu ad majorem virtutem crescere, quosdam vero per supercilium dominationis, ad deteriora defluere: per quod utrimque intelligitur, eos qui ad meliora ascendunt, per virtutem animi, & Dei auxilium, posse id facere, & eos qui ad deteriora divertuntur, pariter per mentis imbecillitatem & negligentiam, errare. Unde dominum sine virtute fieri non decet. quam virtutem sine Dei auxilio nemo habet. Qui enim multa tuetur, si non habeat fortitudinem animi, non valet id agere, quoniam magna magnis infestationibus vel adversitatibus solent laborare. Omnis igitur qui præest, hoc primitus omni animi intentione procuret, ut per omnia de Dei adjutorio non dubitet. Si namque coeperit in actibus suis habere auxiliatorem Dominum Dominorum, nullus hominum contemptum potest habere illius dominatum. Non est enim potestas, nisi à Deo. ipse elevat de stercore egenum, & sedere facit cum principibus populi sui, & deponit potentes de sede, & exaltat humiles, ut subditus fiat omnis mundus Deo, *& erigatur gloria* Dei. Hæc ille. Exserit ergo sese potenter illa virtus, cum in Deum unum lex intuetur, cum hujus unius mandata, directi-

rectiones, impulsus, sic observat, ut non aliam actionum suarum habeat mensuram, neque fortius aliud obsequii sui, ac pro obsequio exsecutionis fundamentum, quam beneplacitum divinum. *Quæ contra mores hominum sunt flagitia*, ait idem lib. 3. Confessionum, *pro morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se civitatis aut gentis consuetudine vel lege firmatum, nulla civis aut peregrini libidine violetur. Turpis enim omnis pars est, suo universo non congruens. Cum autem Deus aliquid contra morem aut pactum quorumlibet jubet, & si nunquam ibi factum est, faciundum est, & si omissum est, instaurandum, & si institutum non erat, instituendum.* Hinc intelligi potest quantum supra quosvis alios permissum sit Regi, sed & simul quanta ei sollicitudo ad recte agendum adhibenda sit. Est is illius status, quod multoties dictum, ac dici necesse est, quem nullus superat, nullus exæquat: est ergo etiam illius culpa, si quam commiserit, ut ut levis, eo gravius peccatum atque acerbius, quod à ductore populi committatur. Notatum filiis medicorum, periculosissimas esse affectiones, quæ à cerebro in inferiora devehuntur. Idem in Rege verum. In Hierarchia cœlesti, promptissimum angelorum Deo famulantium obsequium laudat Rex vates; quod stent accincti, exsequantur sine tergiversatione, sine mora. Sed horum itidem ut dignitas major ac sublimior status, ita & gravior lapsus fuisse, pie creditur. Ex his sibi Rex exemplum sumat. Scire enim eum oportet, supremo se numini, cujus in terris vices gerit, debendi reum esse: nempe, teneri ei de reddenda ratione negotiorum gestorum: non esse vero, ut supremo huic creditori deco-

quat,

quat, sed ex adverso, cum hic in terris quidem, nemini facultas sit ipsi dicam movendi, actioneve legitima interpellandi, qui alias secundum civilia jura duntaxat teneretur actione de dolo, etiam de negligentia, culpaque levissima caussam dicturum. Et revera esse nequit, ut Rex, qua talis, gravius in se aliquod præjudicium temere perhorrescat, præ hoc ipso, quod nullum supra se judicem habet dum vivit. Quod quivis facile videat: si enim sunt, ut sunt omnino summi illius Numinis ministri & procuratores, ut quam religiosissime custodiant fines mandati jus æquumque est. Quare cum minister Dei sit subditis in bonum, cœlestisque beneficentiæ quidam velut œconomus & distributor; quid æquum, quid iniquum sit, perpetuo ante oculos habere debet, quo constantem atque inflexibilem illam justi normam & ipse constanter sequatur, observet ac colat; quinimo ne quidem patiatur animum suum à jugi atque perenni illius observantia agere destitutum; tum demum vere suus futurus, cum & neminem lædens, suum cuique tribuet, uni justitiæ nexus dicatusque. Quod neque tamen in puncto, aut in acie novaculæ (ut fert loquendi mos) nimium præcise accipiendum est. Est hic suum temperamentum, quod omnino benigne eum subsequi, qua datur, est ex humani generis publico bono. Iustus sit, neque quid agat, quod à justitia devium sit, modo sic tamen, ut præfractum justi durioris rigorem in jis, quæ non omnino aversantur ac respuunt blandam gratiarum faciem, non nvolens clementiæ condonet; & mitiori subinde parti accedat: etiam hoc dum agit exempli divini futurus ob-

servator non futilis. Occasione non ominno dissimili ita scribit Augustinus lib. Quæst. Vet. & Nov. Test. c. 15. *Nimia justitia incurrit peccatum, temperata vero justitia reddit perfectos. Non enim sine malitia est, qui nimium est justus, quia peccantibus ad singula si respondeas, non deerit ubi pecces. denique Dei temperata justitia est: peccantibus enim aliquando irascitur, aliquando ignoscit, aliquando reddit, non quantum digni sunt, suffert enim eos, ut sint qui proficiant. Lex enim quia sese ipsam mollire non potest mitiganda est, ut possit prodesse sub se agentibus. Hic ergo nimium justus non est, qui Dei imitator est.* Quoniam vero hoc illud heliotropium est, ad quod usquedum sese convertere Princeps debet, & ab imitatione divina prosperos sibi successus & vovere & augurari potest, operæ fuerit & ex eodem Augustino edoceri, qua demum in re divina illa imitatio, ad quam vocatur, consistat. Sic ergo ille De gradibus abusionum gradu 9. *Nonus,* inquit, *abusionis gradus est, Rex iniquus. Etenim Regem non iniquum, sed correctorem iniquorum esse oportet. Inde in semet ipso nominis sui dignitatem custodire debet. Nomen enim Regis intellectualiter hoc retinet, ut subjectis omnibus rectoris officium procuret. Sed qualiter alios corrigere poterit, si proprios mores, qui iniqui sunt, non corrigit? Quoniam in justitia Regis exaltatur solium, & in veritate Regis solidantur gubernacula populorum. Iustitia vero Regis est neminem per potentiam opprimere, sine acceptione personarum inter virum & proximum suum judicare, advenis, & pupillis, & viduis defensorem esse, furta prohibere, adulteria punire, iniquos non exaltare, impudicos & histriones non nutrire, impios de terra perdere, parricidas & pejerantes vivere non sinere, Ecclesias defendere,*

pau-

pauperes eleemosynis alere, justos super regni negotia constituere, senes & sapientes & sobrios consiliarios habere, magorum & hariolorum pythonissarumque superstitionibus non intendere, iracundiam suam differre, patriam fortiter & juste contra adversarios defendere, per omnia in Deo confidere, prosperitatibus non elevare animum, adversa cuncta patienter tolerare, fidem catholicam in Deum habere, filios suos non sinere impie agere, certis horis orationibus insistere, ante horas congruas non gustare cibum, Vae enim terrae cujus Rex puer est, & cujus, Principes mane comedunt. Haec regni prosperitatem in praesenti faciunt, & regem ad coelestia regna meliora perducunt. Qui vero regnum secundum hanc legem non dispensat, multas nimium adversitates imperii tolerat. Idcirco enim pax populorum saepe rumpitur, & offendicula de regno suscitantur, terrarum quoque fructus diminuuntur, & populorum servitia impediuntur, multi & varii dolores prosperitatem regni inficiunt, charorum & liberorum mortes tristitiam inferunt, hostium incursus provincias undique vastant, bestiae armentorum & pecorum greges dilacerant, tempestates aeris, & hemisphaeria turbata, terrarum faecunditatem & maris ministeria probibent, & aliquando fulminum ictus segetum & arborum flores, & pampinos quoq; exurit. Super omnia vero Regis injustitia non solum praesentis imperii faciem offuscat, sed etiam filios & nepotes, ne post se regni haereditatem teneant, obscurat. Propter piaculum enim Salomonis regnum Dominus Israel de manibus filiorum suorum dispersit, & propter justitiam Davidis Regis, lucernam de semine ejus semper in Hierusalem reliquit. Ecce quantum justitia regis saeculo valet, intuentibus perspicue patet. Est enim pax populorum, tutamen patriae, immunitas plebis, munimentum gentium, cura lan-

 guorum,

guorum, gaudium hominum, temperies aeris, securitas maris, terræque fœcunditas solatium pauperum, hæreditas filiorum, & sibi met ipsi spes futuræ beatitudinis. Attamen sciat Rex, quod sicut in throno hominum primus constitutus est, sic & in pœnis, si justitiam non fecerit primum locum habiturus est. Omnes namque quoscunque peccatores in præsenti sub se habuit, supra se modo implacabili in illa futura pœna habebit. Hæc ille. Sed heu quam difficile est tam lubrico culmini non lapsurum insistere! Suam enim potentiam librare & perpendere si Rex quandoque incipit, & vires quibus abuti possit, in apertum deducere, ut sui non obliviscatur inter illecebras illas & peccandi incentiva, id vero voveri promptius sit, quam ut speretur. Quotusquisque non in ejus contemplatione se perdit, quo potentior, quo major, dum splendoris ipse jubarisque sui mancipium, turget inflatus, ruinæ proximus? Nebucadnezar, ut ait sacer textus, ob amplitudinem, quam dederat ei Deus, id erat consecutus, ut omnes nationes, & populi, & linguæ, tremerent ac timerent à conspectu ejus. *Quem volebat* (textus verba sunt) *occidebat, & quem volebat servabat in vita, & quem volebat extollebat, & quem volebat deprimebat. Sed cum elatus esset animus ejus, & spiritus ejus obduratus esset ad superbe agendum, depositus est à solio regni sui, & gloriam ejus removerunt ab eo. Nam ab hominibus depulsus animum ad bestias applicuit, & cum onagris habitationem suam, herbam ut bobus gustandam dederunt ei, & rore cæli corpus ejus intinctum est, donec agnovit dominari Deum excelsum in regno hominum, & quem vult constituere in eo.* Vidit similiter filius illius Balthasar, Regales inter epulas,

epulas, digitos humanæ manus scribentes à Regione lychnuchi, Numeravit, Numeravit Deus reguum tuum, & perfectissime (interprete Daniele Propheta) numeravit illud, Appensus fuisti lancibus, & es inventus minore pondere. Divisum est regnum tuum, traditumque est Medis & Persis, Et, ut habet historia, eadem nocte interfectus est Balthasar Rex Chaldæorum. Ac ne plura exempla cumulem, quam Deo sit exsecrata ista superbia, Herodes doceat, non aliam ob causam ipse sui bustum, dum vivus idensque in famibus infectis pediculisque in saginam datur. Hic Rex animos sursum ferat, ad cœlum tollat oculos. Notum illud Poetæ:

Vos quibus rector maris atque terræ
Ius dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus
Quicquid à vobis minor extimescit
Major hoc vobis Dominus minatur.

Item & hoc:

Regum timendorum in proprios greges
Reges in ipsos imperium est Iovis.

Iurisdictionem quam ex mandato exercet, summopere caveat oportet, ne unquam animum inducat, sibi eam propriam competere; nedum aliquo jure præcipui, sibi deberi: quim sciat ex adverso, si quid inique usurpet intervertat, invadat, immensis æternisque suppliciis à se commissa expiaturum. Quos temporalis pœna non affligit, altera, insatibili tormentorum dolore sævior, sine fine

prosequitur. *Audite Reges, & intelligite, ait* Sapiens cap.6. *discite judices finium terræ. Præbete aures vos, qui continetis multitudines, & placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est à Domino potestas vobis, & virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestrá, cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrende, & cito apparebit vobis: quoniam judicium durissimum, in his, qui præsunt, fiet. Exiguo enim conceditur misericordia: potentes autem potenter tormenta patientur. Non enim subtrahet personam cujusquam Deus, nec verebitur magnitudinem cujusquam; quoniam pusillum & magnum ipse fecit, & æqualiter cura est illi de omnibus. Fortioribus autem fortior instat cruciatio.* Atque hoc illud vere est, quod asperrimam reddit conditionem regnandi, quod ipse Rex simplici obligationis vinculo irretitus non sit, sed & illa præstare qua cæteris major celsiorque teneatur, quæ scripta aliqua in ipsum aut ipsi lege nullus sancire aut possit, aut debeat: quod vel eo usque atque in tantum sibimet ipsi legem ferre teneatur, ut sibi nequaquam indulgere possit, quæ præter Regem ac ei similes, cæteris omnibus leges fortassis sint permissuræ. Vt habet regula, licita sunt, quæ non fiunt aliqua lege prohibente. Rex contra, si quid designat, etiam præter æquum quod sit, actutum reus est: nosse debet, velle Deum id esse vinculum publicæ incolumitatis, nihil ut sibi licere permittat, cui in summa fortuna omnia pro libitu licere, aut videri, aut credi possit: Velle Deum ut talem se subditis suis exhibeat, qualem se sibi Deum præbere desideret. Id ni faciat Rex, jam non ima-

imaginem ipse referat Dei, qui in omnes beneficus, amari, coli, atque observari tantum cupit; obesse, nocere, aut male de quoquam mereri nec vult, nec potest, sed ex adverso, quod exsecrandum est potentię genus, potens modo valensque sit ad nocendum. Convenientissimum ergo est, ut non nisi quæ à rationis lege definita sunt, velit nullis finibus constricta potentia. Omnia sibi subjicere quæ volet, se rationi submittat, omnibus imperitatura, si se illi regendam permiserit. Divino proximum illud est, *Ut est felicitatis tuæ posse quantum velis, sic magnitudinis est velle quantum possis.* Nec non alterum illud, *Quæ facta lædunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, & (ut generaliter dixero) contra bonos mores sunt, ne quidem nos facere posse credendum est.* Sed enim, si pluribus hic agamus hac de re, justituto nostro prævortamur; quod est, ostenso eo in quo Regia potestas consistat, etiam quid officii regalis sit demonstrare. Quo ne tamen prævaricari videamur & qui capite insequenti multi futuri sumus in demonstranda, quam Regi suo subjecti debent, obedientia, levi nimis brachio hæc ipsa percurrere, visum est his subnectere, quæ anno CIↃ IↃ CXVII. in alma Lugdunens. Academia, de Rege ad Regum sapientissimi Salomonis præscriptum efformando, publico examini subjecimus. Sunt autem hæc quæ sequuntur.

SAPIEN-

SAPIENTISSIMI REGUM

SALOMONIS

REX

ſeu

Deſcriptio boni Regis, petita ex libris

SALOMONIS.

THESIS. I.



IN omni bene ordinata gubernatione sunt gradus: semper enim [a] *est altus superior altis, imo altissimus superior est illis.* Estque hic ordo à Deo, non tantum in inferioribus, in quibus [b] *Dives & pauper inter se occurrunt, efficiente hos omnes Iehova:* sed etiam in summis: neque enim falso exclamat Sapientia, [c] *Per me Reges regnant, & dominatores decernunt justitiam: Per me Principes gerunt principatum, & ingenui omnes judices terræ.* Hujus autem εὐταξίας voluit Deus etiam in brutis vestigia elucere, [d] *Rex enim non est locustis, & tamen procedunt confertæ omnes.*

a Ecclef. v. 8. b Prov. 22. 2. c Prov. 8. 15. 18. d Prov. 30. 27.

II.

Quemadmodum autem non habere Regem certum est irati Dei argumentum, ita habere plures. [a] *In defectione regionis multi sunt Principes ejus.*

a Prov. 28. 1.

III.

In regno hæreditario fere observatum est, Principem filium pluris fieri à suis civibus, quam patrem ætate confectum: [a] *Vidi sane cunctos viventes ambulantes sub sole, cum puero secundo, qui stabit pro eo.* In electivo vero, ex pulvere quoque & ergastulo evocantur quidam ad sceptra: *E domo vinctorum egreditur aliquis ad regnandum.* Eligendus au-

a Ecclef. 4. 15.

tem non servus: Nam [b] *non decet stolidum oblectatio, multo minus servum dominari super Principes.* [c] *Vidi servos insidentes equis Principis, & euntes tanquam servos super terram.* [d] *Sub tribus commovetur terra, imo quatuor non potest ferre*; quorum primum est, *sub servo quum is regnat*. Quis ergo capiendus? liber; & inter hos nobilis, interque nobiles nobilissimus. [e] *O te beatam Regionem, cujus Rex natus est clarissimus?*

[b] Prov. 19. 10. [c] Eccles. 10. 4. [d] Prov. 20. 21. 22. [e] Eccles. 10. 14.

IV.

Imprimis vero debetur Regibus Honor & Fides. [a] *Time Iehovam fili mi, & Regem; cum mutantibus vero se ne commiscetor, quoniam repente consurget contritio eorum.* Rursum, [b] *Moneo ut os Regis observes, & verbum juramenti Dei.*

[a] Prov. 24. 21. [b] Eccles. 8. 2.

V.

Honorem consequetur Rex, si fuerit honorabilis: Hoc erit, si fuerit virtute præditus: danda ergo opera virtuti. 1. ob præmia; nam [a] *ob benedictionem rectorum exaltatur civitas, & ore impiorum subvertitur.* 2. ob exemplum aliorum: Nam [b] *Dominatoris attendentis verbo mendaci omnes ministri sunt impii.* Porro sicut bonus Rex ingens bonum; ita Rex malus Ilias malorum; imo [c] *quod leo rugiens, & ursus esuriens, id est Princeps impius super populum pauperem.* [d] *Melior* enim *est puer pauper & sapiens Rege sene & stulto, qui nescit admonitionem recipere amplius.*


[a] Prov. 11. 11. [b] 29. 12. [c] Prov. 28. 15. [d] Eccles. 4. 13.

Virtu-

VI.

Virtutum Regiarum, quas magnus Rex Salomon commemorat Synopsin hic inseruimus.

CONSPECTUS VIRTUTUM REGIARUM.



VII.

In intellectu posuimus SAPIENTIAM & PRUDENTIAM: [a] *Per hanc enim Reges regnant, & Principes decernunt justitiam. Per eam Principes dominantur, & Principatum obtinent omnes judices terræ.* Ipse etiam Salomon de se, [b] *Idcirco dedi cor meum ad cognoscendam sapientiam, & ut viderem negotium quod fit in terra.* Observatumque est omni ævo, [c] *Ducem carentem intelligentiis multiplicare rapinas.* [d] *Væ autem terræ quando Rex tuus puer est.*

a Prov. 8. 15. 16. b Ecclef. 8, 16. c Prov. 28. 16. d Ecclef. 10. 16.

VIII.

Promoventur autem consilia copia bene consulentium. Nam [a] *quum non fuerint consilia, corruet populus: salus autem in multitudine consultorum.* [b] *Dissipantur* etiam *cogitationes, quando non est consilium, sed multitudine consiliariorum firmantur.* Cæterum in deliberationibus recurrendum identidem ad os Dei. Nam *quum non est visio, dissipatur populus: custodiens autem legem est beatus.* [c] Profuerit impios consiliarios amovere. [d] *Remove impium à conspectu Regis, & firmabitur in justitia solium ejus.*

a Prov. 11. 14. b 15. 22. c 29. 18. d Prov. 26. 1.

IX.

Sed in consiliis capiendis non est eadem Regum, atque aliorum hominum ratio. Nam illi quo Deo viciniores sunt, hoc certius ab ipso inspirantur: estque hic divinum quid in illis atque admirandum, [a] *Cælorum altitudinis, & terræ profunditatis, & cordis Regum non est investigatio.* [b] Et, *ut rivuli aquarum, sic cor Regis in manu Iehovæ, ad omne quod vult inclinat illud.*

a Prov. 25. 3. b 21. 1.

X.

In appetitu ponimus virtutes morales, quarum aliæ servant τὸ μέσον πρὸς ἡμᾶς, aliæ τὸ μέσον τοῦ πράγματος. Prima esto FORTITUDO, quam exaggerati animi robore in suscipiendis cum ratione periculis definimus; Cum ratione, in quîa alioqui [a] *melior est tardus ad iram, quam fortis, & qui*

Prov. 26. 32. *domi-*

dominatur spiritu suo, quam qui capit urbem. Hæc virtus Regem hosti suo terribilem reddit. *Quatuor sunt quæ bene gradiuntur, Leo fortissimus inter animalia, Molossus, Hircus silvester, & Rex in quem nemo insurgit.*

b 300. 29. 30. 31.

XI.

TEMPERANTIA modum servat in expetendis voluptatibus. Est autem hæc ingens Regis ornamentum, sive castimoniam, sive sobrietatem, sive in cibo frugalitatem spectes. De moderatione in rebus venereis luculentum est, [a] *præceptum Lemuelis, quod ei dedit mater sua. Fili mi, ne dederis mulieribus fortitudinem tuam, & vias tuas ad delendum Reges.* [b] *Ne declinet ad vias ejus cor tuum, neque oberres in semitis ejus: Multos enim vulneratos cadere fecit, & fortes omnes occisi ejus: Viæ inferni domus ejus, descendentes ad cubicula mortis.* Ipse quoque Salomon optimus harum rerum post resipiscentiam suam testis pariter & monitor, *Inveni,* inquit [c] *rem amariorem ipsa morte, nempe mulierem: quia est sicut retia, & laquei cor ejus, & ut vincula manus ejus.*

a Prov. 31. 3. b 7. 25. c Eccl. 7. 20.

XII.

Moderatio in potu est SOBRIETAS, quæ vel maxime ad σωφροσύνην pertinet, quum ebrietas τὴν φρόνησιν excutiat. *Absit* ergo [a] *à Regibus ô Lemuel, absit à Regibus bibere vinum, & à dominatioribus desiderium potus inebriantis, ne forte*

a Prov. 31. 4.

bibat, & obliviscatur statuti, & mutet judicium omnium adflictorum. Moderato tamen usu vini ipsi interdictum non esse, ostendunt illa Salomonis, [b] *Agedum, bibe animo hilari vinum tuum. Nam quis esset fruiturus, & quis confestim esset usurpaturus potius quam ego?*

[a] Eccles. 9. 9. 11. 26.

XIII.

Sed & in cibis vitanda ipsi ὑπερβολαί. [a] *Væ tibi terra, quando Principes tui mane comedunt. Beata vero terra, quum Principes tui comedunt suo tempore ad robur, & non ad comessationem.*

[a] Eccles. 10. 16. 17.

XIV.

Circa pecunias versatur LIBERALITAS. Rex ergo sicut prodigentiam fugiet, sic non debet nimis esse ἁρπακτικός. [a] *Dux qui multiplicat rapinas caret intelligentiis; sed qui odio habet avaritiam, prolongabit dies.* Nec cogitabit largitione moderata se depauperari: *Est* enim, [b] *qui dispergit rem, & additur ei amplius, & est qui rei suæ parcit plus æquo, sed ad inopiam.* [c] *Anima quæ benedicit impinguabitur.* In sermone erit ἀληθευτικός. [d] *Non est decorum stulto labium excellens, quanto magis Principi non est decorum labium mendax?* Odit ergo mendaces, vera & recta amat. [e] *Beneplacitum Regum labia justa, & loquentem recta diligit.* [f] *Dominatoris attendentis verbo mendaci omnes ministri sunt impii.*

[a] Prov. 28. 16. [b] 11. 24. [c] 25. [d] Prov. 17. 7. [e] 16. 13. [f] 29. 12.

In

XV.

In offensionibus cohibebit Rex iram, eritque MANSUETUS, ac LONGANIMIS: nam [a] *ira Regis est nuncius mortis, at vir sapiens removebit eam.* [b] *Qui cito irascitur facit stultitiam.* [c] *Tardus ira est multus intelligentia.* [d] *Meliorque est tardus ad iram, quam fortis, & qui dominatur spiritui suo, quam is qui capit urbem.* Imo [e] *veluti rugitus Leonis est ira Regis, & sicut ros super herbam est benivolentia ejus.* Amat quoque πραότητα istam Princeps in aliis; [f] *Longanimitate quippe flectitur Princeps, & lingua mollis confringit ossa*, vel ut alibi ait magnus Rex, [g] *mollis responsio avertit excandescentiam.*

a Prov. 16. 14. b 14. 17. c 29. d 32. e 19. 12. f 25. 15. g 15. 1.

XVI.

In congressibus laudatur CANDOR & AFFABILITAS, quæ instar læti sideris simulatque affulsit, hominum animos ad sui amorem rapit: [a] *Quum illuxerit facies Regis, erit vita: & benivolentia ejus erit velut nubes effundens serotinam pluviam.*

a Prov. 16. 15.

XVII.

Talis ergo erit Rex erga se: spectemus nunc, qualis esse debeat πρὸς ἕτερον, & ἐν κοινωνίᾳ πολιτικῇ: quandoquidem [a] *in multitudine populi est gloria Regis, quum autem non fuerit populus est attritio Principis.*

a Prov. 14. 26.

Impri-

XVIII.

Imprimis ergo Rex IUSTUS eſto. [a] Nam *Rex qui ſedet ſuper ſolium judicii diſpergit oculis ſuis omne malum.* [b] *Iuſtitia exaltat gentem, at ignominia eſt populis, peccatum.* [c] *Quando dominantur juſti, lætatur populus; quum vero dominatur impius, gemit populus.* [d] *Rex in judicio ſtabilem reddit terram, vir autem exactionum, diruet eam.* [e] *Iuſtitia ſtabilitur ſolium, abominatio autem eſt Regibus facere impietatem*: Curabit ergo ut juſtæ ſint commutationes: quippe cum [f] *Statera doloſa ſit abominatio Iehovæ, pondus vero perfectum voluntas ejus: Abominatio Iehovæ ſunt diverſa pondera; & bilanx doloſa non eſt bona. Duplex pondus & duplex menſura abominatio ſunt Iehovæ utraque.* Similia leguntur Prov. 13. 1. & 20. 23. Nec facile ſpondebit pro alio, memor illius, ἐγγύα, πάρα δ' ἄτη. [g] *Contritione conteretur homo quum fidejuſſerit pro extraneo; qui vero odit ſtipulantes, confidet.*

[a] Prov. 20. 8. [b] 16. 34. [c] 29. 2. [d] 4. [e] 16. 12. [f] Prov. 9. 1. [g] 14.

XIX.

Idem faciet in diſtributionibus præmiorum & pœnarum. Malos ergo puniet. Nam [a] *dum evehuntur impii abſcondit ſe homo: quum vero pereunt, multiplicantur juſti. Quum exſultant juſti, multa eſt gloria; quum autem evehuntur impii, abſcondit ſe homo.* [b] *Fœlicitate juſtorum lætatur civitas, & quum pereunt impii, erit exſultatio. Propter benedictionem rectorum exaltatur civitas, ore vero impiorum ſubvertitur.* [c] *Remove* igitur *impium à conſpectu* Regis *& firmabitur in juſtitia ſolium ejus.*

[a] Prov. 28. 12. [b] 11. 10. 11. [c] 25. 1.

Faciet

XX.

Faciet autem id ſine προσωποληψίας: Non abjudicabit pauperi jus propter inopiam ſuam; aut potentiori propter opes. Regis enim [a] *qui judicat in veritate pauperes thronus in æternum firmabitur*. Contra vero *Accipere perſonam impii non eſt bonum, ut declinare faciant juſtum in judicio*. Quæ quum ita ſint, *Aperi*, ô Rex, [c] *os tuum, judica juſtitiam, & judicium pauperis & egeni*.

[a] Prov. 29. 14. [b] Prov. 28. 5. [c] 31. 9.

X X I.

Iuſtitiæ comes eſt ἐπιείκεια, quæ eſt ἐπανόρθωμα τοῦ νομίμου δικαίου ᾗ παραλείπει ὁ νομοθέτης διὰ τὸ καθόλου. Hanc imprimis ſibi commendatam Rex habeat: Nam [a] *benignitas & fides cuſtodiunt Regem, & Rex ſuſtentat benignitate ſolium ſuum*. [b] *Qui ſectatur juſtitiam & benignitatem, conſequetur juſtitiam, vitam, & honorem.*

[a] Prov. 22. 28. [b] 21. 21.

O CAP.

CAP. IX.

Nulla ratione fas liberumve esse populo, quam Principi debet obedientiam temerare, nedum violare.



ALterum, quod promiseram, corollarium erat, nulla ratione à populo temerandam esse, nedum violandam obedientiam, quæ Principi debetur. Vbi quidem omnino exceptum atq; exemptum esto illud θεόπνευστον. effatum. *Obedire Deo magis oportet, quam hominibus*: cujus præterquam quod est inconcussa, ut quæ promanarit à Spiritu Sancto, veritas, etiam communem sensum æquitate sua in assensum trahit. Neque enim Principi recte exhiberi obedientia potest, nisi & Deo obediatur cui Princeps servit: Principi autem exhibetur obsequium paratissimum, cum Deo ipsius auctori, statori, vindici, illud ipsum impenditur. Non possunt terrena cœlestibus obluctari imperia, si quod sunt Principes, aut esse aut haberi volunt, eoque sciunt, esse sibi parendum Deo, ut Regum Regi, Dominoque supremo, per quem regnant; cujus muneris omnis illa potestas est, quam exercent in subjectos. Recte Augustinus De verbis Domini secundum Mathæum sermone sexto. *Timendo potestatem*, inquit, *ipsos rerum humanarum gradus advertite. Si*

aliquid

aliquid jusserit curator, nonne faciendum est? tamen si contra Proconsul jubeat, non utique contemnis potestatem, sed eligis majori servire. Nec huic debet minor irasci, si major prælata est. Rursum si aliquid Proconsul jubeat & aliud jubeat ipse Imperator, numquid dubitabitur, in illo contemptu illi esse serviendum? Ergo si aliud Imperator, aliud Deus, quid judicatis? Solve tributum, esto mihi in obsequium: Recte quidem, sed non in Idolio: in Idolio prohibet. Quis probibet? Major potestas. da veniam: tu carcerem, ille gehennam minatur. Hinc jam tibi assumenda est fides tua, tanquam scutum, in quo possis omnia ignita jacula inimici extinguere. Sed insidiatur contra te Potens? Acuit novaculam, unde capillos radat, non unde caput incidat. Hinc idem Augustinus de Ægyptiis illis obstetricibus, quæ Israelitarum vivos conservarunt natos, *quod opus misericordiæ fuit, sicut pro vita sua mentitas esse, fuit infirmitatis, quam Deus gratia gratia condonat; homines vero, non nisi ingrati & protervi, possunt ad exemplum imitationis sibi proponere: omisso illo quo peccasse per infirmitatem indicantur, certum est*, ait, *eas non modo laudatas, quod inhumano Regis edicto non paruerint, eoque, ut quæ Deum timuerint, meruisse commendari, sed etiam ob hoc ipsum Dei in se benificentiam provocasse.* Ita sacer textus, *Idcirco benefecit Deus obstetricibus illis, quum augeretur ille populus, & corroboraretur valde.* Sic laudatur etiam Obadiæ pietas, qui deſæviente in Prophetas Dei Iesabele, eosque exſcindente, eorundem exterminio occurrens, centum Prophetas abscondit, & quinquagenos viros in speluncam abdidit, quos & pane & aqua cibavit. Quam grata itidem Deo fuerit pietas Danielis, edicto Darii cultum Dei vivi

præferentis, teſtantur leonum rictus totam noctem occluſi, cum tamen iidem projectos in foveam, qui Danielem accuſaſſent, cum uxoribus maritos liberoſque ilico diſcerpſerint, & ne quidem paſſi ad oram foveæ eos deferri, *Dominium in ipſos* (ita ait ſacer Codex) *exercuerint, omniaque ipſorum oſſa comminuerint.* Vtique vix alias potentius demonſtratum, quam probaretur ſupremo numini tam pertinax conſtantia obedientiæ, vel in evidentiſſimo vitæ periculo, inde ſe avelli non paſſæ, in quo ſolo defigi amat, & actis profunde radicibus immota perſtare. Vnde & in Principes ſibi obverſos iram ac furorem ſuum potius explicaturum ſeſe Deus teſtatur, quam ut obedientiæ, quam hic exigit, vel tantillum derogari patiatur. Quidquid ergo fit ad ſartam tectam tuendam obedientiam, quæ Deo debetur, recte fit; & ad illam, de qua jam dicturi ſumus, obedientiam non facit. Quæ autem hæc ſit ſi quis roget, expediam. Eſt ea, quam Simplicius ſuis ad Epictetum commentariis requirit, quo loco ita ſcribit: *Neque Magiſtratibus obſequi tantum, ſed & operam, qui poſſunt, navare debent, atque exiſtimare in his niti ſalutem civitatis. Sin autem verbo tantum Principes erunt, & Magiſtratus officia negligent, improbandi illi quidem erunt, ut ſunt improbi: ſed quod Magiſtratui convenit eis præſtabitur; ut & Principatum eis deferamus, & in iis rebus pareamus, quibus animus non læditur.* Talis obedientia in tantum neceſſaria eſt, ut etiam pro tyrannis manifeſtariis Deum teneamur orare. Nam ut Magnus ille Auguſtinus, quem priuſquam hæc ſcriberemus manu ſæpe trivimus Lib. 19. de Civitate Dei; *Quamdiu permixtæ ſunt*

sunt ambæ civitates, utimur & nos pace Babylonis, quam quidem non habebit in fine, qui non bene utitur ea ante finem. E Babylone ita per fidem populus Dei liberatur, ut apud hanc interim peregrinetur, propter quod & Apostolus admonuit Ecclesiam, ut oraret pro Regibus ejus, & sublimibus, addens, & dicens ut quietam & tranquillam vitam agamus cum omni pietate & charitate. Et Propheta Hieremias cum populo veteri Dei venturam prænunciaret captivitatem, & divinitus imperaret, ut obedienter in Babyloniam irent, Deo suo etiam ista patientia servientes: monuit & ipse ut oraretur pro illa, dicens Quia in pace ejus est, pax nostra: utique interim temporalis pax, quæ bonis malisque communis est. Dico, ergo, non statim si quid vel primario, vel secundario divinis legibus adversari videbitur, quod agit Princeps, in argumentum trahi debere læsæ divinæ Majestatis, ut ei sit reluctandum. Exemplo res planior fiet. Lex est, Qui sanguinem effuderit, ut sanguis ejus effundatur per hominem. At, occidit Ioab filius Serujæ Abner filium Neri, & Amasam filium Ietheri, cædem bellicam designans in pace. *Reposuit*, habet textus, *sanguinem bellicæ cædis in zona sua, quæ adhærebat lumbis suis, & in calceamento quod habebat ad pedes suos*: David neutrius cædem ulciscitur: quin Ioabum habet inter proceres suos, & non postremum regni columen. Non ideo populo, quod David negligat implere legem Dei, recalcitrandum dicas, aut excutiendum obedientæ jugum, aut ad vindicias divinas fuisse proclamandum, tanquam ad pileum & libertatem. Quin legum complurimæ sunt, quibus etiam contraria atque obstantia Rex imperet: & vero non datur ulla

recta lex, quæ non partem sui trahat à lege divina: ac tamen obedientia tum demum neganda est, cum jussa Principum divinis è diametro obluctantur; cumque in Dei vivi injuriam ea sanciunt, quæ vel quivis agnoscat in illius vilipendium ac probrum, propalam decreta. Ad hanc nos obedientiam manu ducit, omnesque oblocutiones comprimit ipsum Dei jus, ipsa voluntas in alto Majestatis fastigio quemcunque voluerit, aut humilem, aut etiam improbum collocandi. Est hic ordo providentiæ divinæ omne hominum genus ineffabili judicio dispensantis. *Contra Dei iram Israel speravit in Damasco; diruatur civitas, quæ adversus illius voluntatem impiis præstat auxilium: Iudas speravit in Ægyptiis; & Ægyptus destruatur: Ægyptii confisi sunt in Æthyopibus; Æthiopes quoque vincantur ab Assyriis: Assyrii superbierunt, non Dei, sed suarum virium arbitrantes esse victoriam; & ipsi vincantur à Babiloniis: Babylon elevavit contra Deum caput; & ipsa à Medis Persisque superetur: Persæ & Medi ex parte persecuti sunt populum Dei, & aries sævissimus ad Orientem & Occidentem omnes populos ventilavit: veniat hircus Alexander, & conterat eum pedibus suis, & iste, qui ultra modum erectus est, veneno pereat, regnumque ejus dividatur in partes, & cum multo tempore collisum fuerit, Romano vincente populetur: Romanus ipse ferratis dentibus unguibusque sanctorum carnes, & cruento ore laceravit; exscindatur lapis, de monte sine manibus, & potentissimum primum regnum ac ferreum, deinde fragile & infirmum, in testarum modum conterat*: ait Divus Hieronymus. Qui & ipse ad caput 2. Oseæ, *Non ergo*, inquit, *miremur, si quando cernimus & Regibus Reges, & regnis regna succedere, quæ Dei gubernan-*

bernantur, & mutantur, & finiuntur arbitrio, causasque singulorum novit ille, qui conditor omnium est; & sæpe malos patitur suscitari, ut mali malos puniant. Quæ quam vim habeant ad illam, de qua sermo est obedientiam, doceat nos lib. 2. dialogorum adv. Pelag. Augustinus: *Daniel Propheta, inquit, loquitur ad Nabuchodonosor, quod dominetur Excelsus Regno hominum, & det illud cuicunque voluerit, & extremum atque projectum constituat super illud. Interroga eum, qua de causa ultimum atque despectum constituat in Regem, & faciat quod voluerit: & discute utrum voluntas ipsius justa sit, de quo scriptum est; Qui suscitat de terra humilem, & de stercore elevat pauperem, ut collocet eum cum Principibus, cum Principibus populi sui. An forsitan, juxta te, absque judicio atque justitia gloriam quærit auramque popularem, ut humiles erigat in regnum, & potentes humilitate commutet? Audi Prophetam dicentem. Omnes habitatores terræ quasi nihil reputati sunt apud eum. Fecit enim quodcunque voluit & in cœlo & in terra: & nemo est qui resistat voluntati ejus, aut possit dicere, quare hoc fecisti? cujus sunt omnia opera in veritate, & viæ illius justitia, & superbientes potest ipse humiliare. Antiochus Epiphanes Rex crudelissimus, subvertit altare, ipsamque justitiam fecit conculcari, quia concessum erat ei à Domino, causasque reddit, Propter peccata plurima. Ergo non fecit, quod ipse tantum voluit, sed quod propter peccata populi concessit Dominus. Denique sequitur, quod non ex propria fecerit fortitudine, sed ex ejus imperio qui præcepit, ut fieret.* Sed nec exemplis opus. satis ipsa Dei voluntas est, & plus satis illud, quod horrendum quoque væ contra omnes effulminat, qui eam aut sistere se posse præsumant,

mant, aut morari velint. *Quum descendit nix aut pluvia de cœlo*, ait apud Esaiam, *rursus illuc non revertitur, sed inebriat terram ipsam, facitque ut pariat ipsa, & producat, & edat semen satori, & panem comedenti. Sic erit etiam verbum meum, quod egressum erit ex ore meo, non revertetur ad me vacuum, sed faciet id in quo delector, & prosperabitur id, in quod emisero.* Et apud eundem, *Væ litiganti cum fictore suo: testa cum aliis testis terreis. An dicturum est lutum fictori suo, quid facturus esses, cum ad opus tuum istud nullæ sint manus? Væ illi, qui dicit patri suo, quid geniturus esses, & fœminæ, quid esses paritura? Sic ait Dominus Sanctus Israelis, & formator ejus, quæ ventura sunt petite à me, & de opere manuum mearum interdicite mihi. Ego feci terram & hominem super eam creavi, ego manibus meis extendi coelos, omni quoque exercitui eorum præcepta dedi.* Consequens est ut cum indubie parendum sit Deo, qui hic Reges habet ut instrumenta sua, non minus quoque parendum sit Regibus, per quos ipse à se concepta, designata, decreta, explicat, agit in fines suos, atque ad effectum perducit. Neque hic quærenda nobis ratio, videntibus quippe, eam quæ Regibus præstatur ac defertur, obedientiam, partem esse, ac neque minimam quoque aut inficiandam, illius obedientiæ, quæ Deo debetur. Sic Israelitis toties contra Mosen & Aaronem murmurantibus respondent ipsi, *Vos murmurastis contra Dominum, nos enim quid sumus* (at erant tamen istius politiæ Magistratus summi) *ut mussitetis contra nos? Non contra nos murmur est vestrum, sed contra eum.* Itidem horrenda illa seditione, qua dissiliens tellus refractarios absorpsit, sic locutos habet textus: *Omnis globus tuus stat contra*

contra Dominum; quis enim est Aaron ut murmuretis contra eum? Hinc & Theocratico in regimine, in quo obedientia Dei primario spectari debuit, inobedientia mortis supplicium luit. Hæc enim lex est: *Vir ille qui commiserit superbe, ut non auscultet sacerdoti, constanter ibi ministranti Domino Deo tuo, aut summo judici, utique morietur vir ille, & tolles malum illud ex Israele.* His consona sunt, quæ in Novo leguntur Fœdere, *Qui vos recipit, me recipit; & qui me recipit, recipit eum, qui me misit.* Item, *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit*; & similia. De quibus graviter Salvianus Massiliensis Lib. de Provid. Dei 8. *Sacrilegii*, inquit, *genus est, Dei odisse cultores. Sicut enim si quis servos nostros cædat, in nos servorum nostrorum cadit injuria; si à quoquam filius verberetur alienus, in supplicio filii pietas paterna torquetur: Ita & cum servus* Dei *à quocunque læditur, Majestas divina violatur, dicente ipso ad Apostolos Domino, Qui vos spernit, me spernit. Benignissimus ac piissimus Dominus communem sibi cum servis suis honorem & contumeliam facit, ne quis, cum læderet Dei servum, tantum hominem à se læsum arbitraretur, cum absque dubio injuriis servorum Dominicorum Dei admisceatur injuria.* Ad talia ista respexisse liceat dicere Apostolum, quum de obedientia etiam carnalibus Dominis præstanda, cui hæc de qua agimus, persimilis est, ita loquitur, *Obedite Dominis carnalibus, cùm timore & tremore, in simplicitate cordis, sicut Christo.* Item, *Facite ex animo quodcunque operamini, sicut domino, & non hominibus.* Quare & aurea illa sunt Vegetii li. 2. de Re militari *concipi militaria sacramenta* dicentis *per imperatoriam Majestatem, quæ secundum Deum* (verba illius sunt)

generi humano diligenda est & colenda. Nam Imperatori, cum Augusti nomen accepit, tanquam præsenti & corporali Deo, fidelis est præstanda devotio, & impendendus pervigil famulatus: Deo enim vel privatus, vel militans servit, cum fideliter eum diligit, qui Deo regnat auctore. Recte sane: libere enim agit Deus, nec quibus utatur instrumentis, aut quomodo, quis ei præscribat. Si Principem populo subjicere ei visum, dicet actutum, ut in illo Samuelis, *Audi omnia quæ tibi populus est dicturus:* Si maritum uxori, *Quæ tibi omnia dicet Sara, audi vocem ejus,* statim dictabit. Objecerat Augustino Petilianus, quod videretur Deus etiam humano sanguine aliquando lætatus, ut cum occisorem fratris Cainum, superstitem vita frui voluerit. Ille vero recte ita respondet, *Si occisori fratris noluit inferri mortem, sed relinqui carnifici vitam, vide ne forte hoc sit, quod cum cor Regis sit in manu Dei: unde multas ad vos corripiendos, & commonendos leges ipse constituit; nulla tamen vos lex Regia jussit occidi; fortasse propterea, ut quicunque vestrum, in pertinaci sacrilegi furoris aura persistunt, Cain parricidæ supplicio, & vita carnifice crucientur.* Ergo siquid aliud hujusmodi aut facere aut præcipere Deo placuerit, e vestigio parendum est. Parendi necessitatem inycit, non modo quod urget imperium, quale in Bileamo, cum inquit, *Etiamsi Balaac daret mihi domum suam plenam auro & argento, non possem transgredi statutum Domini Dei mei faciendo parvum aut magnum:* Sed & occultarum causarum nexus nulli pervestigandi, &, velis nolis, semet ipsos evoluturi. Pulchra sunt in hanc rem illa Boethii: *Sola est divina vis cui mala quoque bona sint, cum eis competenter utendo, boni*

alicujus

ni alicujus elicit effectum. Ordo enim quidam cuncta complectitur, ut quod ab assignata ordinis ratione discesserit, hoc idem, licet in alium, in ordinem tamen relabatur, ne quid in regno divino liceat temeritati. Naturarum quippe omnium conditor Deus, ad bonum dirigens, cuncta disponit: dumque ea quæ protulit in similitudine retinere festinat, malum omne de Reipublicæ suæ terminis eliminat. Quo fit, ut quæ in terris redundare eredun- tur, si disponentem providentiam spectes, nihil unquam mali esse comperias. Hæc ille. At vero, quid non licebit temeritati, & quidem effræni, si statim, simul atque cum dicto, ubi hoc aut illud minus placuerit, liberum erit ponere os in coelum; si tribunitium Intercedo divinis decretis occentare, aut quos Deus unctos suos agnoscit, sistere, aut injectis moris ab exsecutione coeptorum, muneris sibi commissi satagentes, distinere? Quod porro sacrosancta debeatur obedientia, magnum hoc quoque indicium est, quod id se velle multis magnisque signis externis Deus demonstravit. Inter quæ non postremum est, impressus ille Regibus character, quem non immerito privatam censuram Valerius Antias appellat, & sine tribunalium fastigio, sine apparitorum ministerio, potentem in amplitudine sua obtinenda. Qua, nimirum, grato intuitu animis hominum illabitur, admirationis prætexta velata, sic ut recte quis eam esse dixerit, longum & beatum honorem sine honore. Id vero cum Deo tralatitium est, quasi signaturas suas rebus imprimere (sic enim & Caino, & Lamecho impressas notas tenemus, & generatim cum Regio vate impressum nobis lumen dominici vultus profitemur) tum in rectoribus populorum peculiare fuisse,

pro parte ex ſupra dictis, ubi de unctione, deque unctis Domini ſermo fuit, patet. Accedat quod indubitatam obedientiam exacturus Deus, velut parario ac prævio quodam munimento rectores à ſe impoſitos aut imponendos, condecoraſſe legatur, ac tantum non præmuniiſſe non commendatione duntaxat ſua, ſed etiam donis ſuis; & quæ humanitatem excederent inſignibus gloriæ. Quemadmodum cum Ioſuam Moſi eſſet ſuffecturus, *Tolle*, inquit, *Ioſuam filium Nun, in quo eſt ſpiritus Dei, & pone manum ſupra eum, & dabis ei præcepta cunctis videntibus, & partem gloriæ tuæ.* denique imaginem ſuam Deus in ipſo Dominio, in ditione, ac poteſtate voluit elucere. Quibus poſitis, quin & ſubjectio & obedientia ponantur, nemo neget. Sic enim ad imaginem Dei creatus homo, ſtatim accipit jus dominandi in ſubjecta; uxoris Dominus vir futurus imago Dei appellatur, mulier non item, ut pote maritum ſupra ſe habitura. Et habet neſcio quod ipſa juriſdictio ſimulachrum Dei imperantis. Sed nec illud de nihilo eſt, quod illud præceptum, quo parentes, ac ſub eorum nomine, ut communis eſt ſenſus, poteſtates ſuperiores honorare, atque obſervare jubemur, primum ſit, quod ſperandæ benedictionis promiſſum proſequatur atque exornet: ſicut ex adverſo nullum tota Sacra ſcriptura exemplum reperire datur, quod non repræſentet acerbas rebellantium pœnas. Circa quod miraculo non caret, cum quod inobedientia Deum ſemper habuerit vindicem atque ultorem; tum quod non modo antecedentem culpam ſubſecuta pæna exceperit, ſed quod vel condonato merito

merito culpæ pœnæque, surrogata fuerit in locum pœnæ privatio beneficiorum Dei, ne quidem iis hic exceptis, quos sibi ipse Deus præ mortalium cæteris lectos haberet atque acceptos: Quam horrendæ comminationes, quam graves calamitates, quam asperæ plagæ denunciatæ divinitus fuerint per Prophetam fœdifrago ac desciscenti Sedechiæ, videre est apud Ezechielem. cap. 17. Si quis defectionem Israeliticarum tribuum objiciat impunitam; is eam sciat pœnæ meritum fuisse; eamque cum Deum non modo non habuerit invitum, sed auctorem quoque, non esse uti nos eam dicamus vel defectionis nomen tenere. Deo nimirum ad pugnam prohibente ascensum, & pugnam contra filios Israel, fratres suos, non est ut defectio nobis dicatur iram Dei in se provocatura. Quod ipsum tum certe dubio caret, non modo, cum id à se factum fuisse Deus dicat, sed & ipsa S. Scriptura causam defectionis referat, non ad hoc duntaxat, quod auscultasset Rex populo, sed disertim edicat, causam fuisse ab ipso Domino ne auscultaret; nempe voluisse Deum ita fieri (verba textus pono) *ut præstaret verbum suum, quo allocutus fuerat per Achiam Silonitem Ieroboamum filium Nebathi.* At neq; ea quæ fuit à Ioramo defectio Edomæorum, nec quę eam excepit Lybnensium, defectio vere fuit, sed pœna ei divinitus immissa, qua Regem ipsum Deus in populo suo puniit. *Ambulavisti*, inquit ei Elias, *in via Regum Israelis, & effecisti ut scortarentur Iuda, & Reges Hierosolymorum, sicut effecit domus Achabi, ut scortaretur Israel, insuper fratres tuos, domesticos patris tui, meliores te, interfecisti: Ecce Dominus afficit te*

plaga magna in populo tuo, & in filiis tuis, & in uxoribus tuis, & in omnibus facultatibus tuis. Sed enim neque ideo minus illa ipsa defectio fuit in pœnam sui. Sive enim spectes, quod non asseruerint se per illam, Edomæi, aut Lybnenses in libertatem, sive quod Regi mancipati, bello se implicuere inevitabili, pœnas dedisse constat. Neque enim non licebat Ioramo eos per vim à se avulsos pari violentia sibi redasserere: neque detrectare erat ipsis in proclivi mandata Regis, quem asciverant. Plane duos Reges habuere; unum quem rejecerant, alterum quem elegerant. Quod & ipsum non leve est argumentum irati Dei. Vt alibi Regum Sapientissimus, *In defectione populi, Reges illius,* inquit, *multi sunt.* Scio quidem à nonnullis afferri exemplum Iehu, qui Achabum, qui filium ejus Ioramum, qui Iesabelem matrem, qui fratres ejus septuaginta, patruos quadraginta, totam stirpem regiam interfecerit, una cum omnibus Baalis sacerdotibus: sed negabit pro me sacer textus, illud aut inobedientiam, aut rebellionem, nedum perduellionem vocari posse. Quin potius obedientia pura ac puta fuit; cum non potuerit Iehu id non facere, quod fecit, ut qui hac lege in Regem divinitus fuisset inunctus. Audiamus ipsa verba. *Ita ait Dominus Deus, ungo te Regem super populum Domini, ut percutias domum Achabi* (notetur) *Domini tui. Sic ulciscar cædem servorum meorum, Prophetarum, & cædem omnium servorum Domini, à manu Iesabelis. Exscindam cum familia Achabi mingentem ad parietem, conclusumque & derelictum in Israele, & reddam Domum Achabi, sicut Domum Ieroboami filii Nebath, & sicut Domum Baaschi filii Achiæ. Etiam Iesabelem*

Come-

comedent canes in portione Israelis, nec erit qui sepeliat. Unicum est, quod sciam, exemplum in Daniele, qui admodum adolescens ipsos judices falsi reos peregit, convicit, damnavit, & turbæ trucidandos permisit, privatus interim, & nullo Dei jussu, nulla autoritate speciali munitus. Sed non est in argumentum juris hoc ejus factum trahendum: motus quidam inerat divinus, ut hoc facto typum Christi Daniel hic exprimeret, liberaturi scilicet Ecclesiam suam à contechnationibns & sycophantiis Scribarum ac Pharisæorum; non secus atque ille Susannam (quæ ibi typus Ecclesiæ) falsa sub accusatione indigne laborantem, circumventam, & tantum non damnatam liberavit. Non tutum est autem argumentari à typo ad rem ipsam. Possent alioqui complurima probari, quæ disertim improbantur. Exemplum est in Samsone Christi typo, homicidium sui, dum convulsis columnis una seseque & magnam allophylorum turbam una ruina extinguit. Ita nec tutum ab iis exempla velle sumere, quos divinus aliquando spiritus egit, nullis adstrictus legibus, legibus ipse superior. Si quis nunc alter Phinees Israelitam cum Madianitide illicitos concubitus agentem, privatus, abreptus animi fervore, interficeret: si quis Samuel voluminoso aqualiculo turgentem in frusta Regem dissecaret membratim, certum est defuturos qui applauderent, aut acclamarent factum bonum. Quin etsi vel hoc daretur, inter Iudæos è licitorum fuisse genere, minime tamen tale esset, quod nobis liceat imitari; sed inter ea potius connumerandum, quæ fuerunt isti populo propria: nisi quidem rationes adducantur, cur ad nos idem

quoque

quoque ſpectet. Hoc vero, & ſi quid aliud eſt, quod eodem facere videatur, ſponte ſua apparebit quale ſit examinanti rationes, quas ad oppoſitam partem hoc ſeneſcentis mundi deliquio adduxerunt nonnulla hominum portenta, neque enim homines merentur vocari, quorum ſeditioſis atque infamibus libellis hoc actum fuit, ut populis omnem erga ſuperiores obedientiam radicitus expectorarent. Scio hos, etiam ex ſacra Scriptura petito mangonio, conteſſellaſſe nonnulla, quæ videri poſſint minus cautis quid tale probare: ſed id bene cum primis ſe habet, quod ut ut omnem moveant lapidem, miſceant cœlo terram, cœlum terræ confundant, nihil tamen in medium è ſacris in hoc uſque momentum eruere quiverint, cujus autoritas directa aut mandatum aliquod præ ſe ferens, aut conſilium quoque mandato vicinum, tam infamem atque infandam illorum aſſertionem ſtaminet aut tueatur. Multa torquent & per ſubdolas ac ſubleſtas illationes ad ſe trahunt, per longe petitas ſequelas phaleratis verbis ornant, & per mellitos bene fluentium verborum globulos inſinuant: cæterum ubi pes figendus eſt, & ſtandum in veſtigio, ut amiſſis aculeis animantia torpent, atque animam agunt potius quam cauſam. Recte ad Eſaiæ 2. caput Hieronymus: *Tam diu videtur humanus ſermo habere rationem, quam diu ſcientiæ divinæ non fuerit comparatus: cum autem mendacium veritati, tanquam ſtipula igni, appropinquaverit, cito devoratur ac perit, & omnia dogmata falſitatis, quæ nunc Idola nominantur, ab eo quod ſimulata ſint atque confićta, penitus conteruntur.* Ex iis

iis quæ illi mutuari è sacris conantur, primicerium hoc est, quod populi sit Regem eligere, eoque & populo potestas sit eum, quem elegerit, destituendi, si sic abutatur ille sua potentia, ut omnino negari non possit, populum justas habere causas, cur eum destituat. Sed errant miseri & in jure & in facto, sic ut major & minor, quibus utuntur, ambæ falsæ sint. Facti quod hic sit, jam ante exemplis Saulis & Davidis revulsum est, sed potentius etiamnum exemplo Salomonis revelli potest. Hunc ut Rex esset, jussit David, Rex ipse. Pro more meo loqui lubet, & ut circumstantiarum haberi ratio possit, ipsis sacri textus verbis. Lib. 1. Reg. c. 1. versu 20. ita ad Davidem Bathscheba: *Domine mi Rex oculi omnium Israelitarum in te conversi sunt, ut indices eis, quis sessurus sit in solio Domini mei post ipsum. Nunc autem ecce Adonia regnat, te Domine mi Rex ignorante: item jurasti per Dominum Deum tuum ancillæ tuæ, Salomo filius tuus regnaturus est post me.* Eodem cap. ad Davidem Nathan Propheta similia dicit. Quid David? *Vocate mihi,* inquit, *Bathschebam, quæ ingressa est in conspectum Regis: juravitque Rex dicens, Ut vivit* Dominus*, qui redemit animam meam de omni angustia, quemadmodum juraveram tibi per* Dominum Deum *Israelis, dicendo, Salomonem filium tuum regnaturum post me, eumque sessurum in solio meo pro me, ita facturus sum hoc die.* Et paulo post: *Deinde dixit David, Vocate mihi Tsadocum Sacerdotem, & Nathanem Prophetam, & Benajam filium Iehojadæ, veneruntque in conspectum Regis. Quibus dixit Rex, Sumite vobiscum servos dominorum vestrorum, & facite ut Salomo filius meus insideat mulæ meæ, ita deducite eum ad Gichonem,*

ut ungat eum Tsadoc Sacerdos & Nathan Propheta in Regem super Israëlem; & clangentes buccina dicatis Vivat Rex Salomo. Deinde ascendetis post eum, & ingressus sedebit in solio meo, & ipse regnabit pro me: nam praecepi eum antecessorem esse in Israële & Iehuda. Nullæ hic populi partes, quin imo, quas sibi assumpserat inscio rege, a rege damnatæ sunt ipso facto: cui facto regis, gnarus sibi in eligendo rege nihil juris esse, pro ut debebat quoque, obediendo acquievit populus: & qui antea gratulabundus acclamaverat, Vivat Rex Adonia, facta Salomonis electione *ascendit post eum, canens tibiis lætusque adeo magna*, ait textus, *lætitia, ut finderetur terra præ voce eorum.* Ipse etiam Adonia non minus tutum in Salomone presidium amplexus est, quam in cornu altaris, quod vitæ suæ diffisus tenuerat. Ejus asseclæ in officio se continuere, nullus ullum sibi in electione jus esse credidit: ad solum Davidis mandatum, per ministros Davidis, acta, transacta sunt omnia. Exempla his similia etiam plura supersunt in regibus Israëlis. Inter reges Iudæ certe neque Iora filius Iosaphat, neque Ioachin Osiæ filius, neque Achaz, neque Ezechias, neque Manasses, neque Amon, neque Ioachin, neque Asa ad populum retulere, quod aut uncti fuerint, aut in reges electi. Verum neque exemplis est opus. Omni pro exemplo sit naturalis illa præsumptio, quod videamus, populum istum sibi in reges suffecisse nequissimorum parentum filios, & a quibus jure timeri possent hæreditarii sceleris traducia incommoda. Id autem facturum fuisse ne quidem ille credat, cujus simili occasione atque articulo rerum hæc sunt,

Libera

Libera si populo linquas suffragia, quis tam
Perditus, ut dubitet Senecam præferre Neroni?

At vero non deërant, quos, electuri libere, potuissent certos, veros, legitimos creare successores regni, atque erant ipsi certissimi non esse auferendum sceptrum de Iuda. Nihil veri similius, quam non fuisse illis tale jus Regem eligendi, quale mortalibus istis placet comminisci. Iosiæ filium populus quidem unxit in regem; sed recte æstimare qui rem volet, nullo negotio judicabit, tam non esse id ulli populi juri adscribendum, ut potius expressio fuerit amoris erga filium regis defuncti, eoque illius hæredem & successorem. Perhibet utique de Iosia hoc testimonium Scriptura sacra, quod *par non fuerit ante ipsum Rex, qui reverteretur ad Dominum ex toto corde suo, & ex toto animo suo, totisque viribus suis, omnino secundum legem Mosis, neque post eum par extiterit ei.* Quod de jure adducitur, nimirum superesse eligentibus electum destituendi facultatem, si indignum sese reddat, tam est falsum, quam quod falsissimum. Cessat nimirum potestas eligentis; est enim omnis illa eligentis, quanta quanta fuit potestas, toto ex asse collata in electum. Doceant non collatam esse. Scio equidem, multum in illo ipsos collocare; quod, ut alibi sacer textus, *in multitudine populi sit Regis gloria*: populus ergo ipso Rege habeatur præstantior, ut qui Regi contulerit Imperium: sic ut Rex sit causa ipsius populi, & quæ affinia his plura solent effutiri. Quasi in

eam ſententiam illud dictum ſit, in quam ipſi detorquent. Certe in populi multitudine Regis eſt gloria, potentior quippe qui pluribus imperat; nec tamen eo minus ille Rex erit, qui non tam longe aut late imperat, quam alter qui forſan imperio ſuo Lybiam, quod apud Poëtam eſt, remotis Gadibus jungat. Majus aut minus ſpeciem non mutant. Sed quorſum iſta? Si eo pertinere putant, ut Rex populi cauſa creatus eſſe perſuadeatur, jam ante figmentum illud nobis confutatum eſt. Imperium populo qui ſubſternat, actioni formam ſubſternat, accidenti ſubſtantiam. Certe Anticyras ablegandus merito credatur, qui curatori pupillum quæri dicat, medico ægrotum, Domino ſervum, patri filium. Nec magis ſapiat, quam qui oves, boves, ſues ſupra paſtorem dicat, eo quod opilio, bubulcus, ſubulcus, gregi aut armento ſint quæſiti; idem hominem animans ad imaginem Dei conditum, abjiciat infra beſtias. Non ſunt omnia quæ ad invicem ordinata ſunt ejuſdem dignitatis aut gradus, nec inferiora, quæ aliis utilitatem ſui præſtant. Nam quin cor & partes vitales reliquis integralib. anteſtent, etſi iis vitã miniſtrant, dubitat nemo. Neque item quin caput, arx & ſedes rationis, cæteris membris nobilius ſit. Atqui docuit nos non unus Septimius Severus, caput regnare, non pedes: & ut quondam vir, dum vixit, ſupra laudem Thomas Morus cecinit,

Totum eſt unus homo regnum, idque cohæret amore,
Rex caput eſt, populus cætera membra facit.

Sene-

Seneca Regem, ut ante dixi, animæ comparat. Certe si populus spectetur ut corpus, quandoquidem pati cogitur, dicendum est, eum nihil agere. Corpus ab anima habet principium motus, habet actionum, inutile futurum atque iners, imo fatuum atque insulsum, nisi anima id sisteret, atque sufflaminaret, tanquam ejus forma. Princeps hoc mystico in corpore, qui animæ vices gerit, agit; & unus cum sit, neque de facili in plura, aut plures scindi aut distringi, coercet populum, sæpenumero neque libertati suæ, neque ulli etiam bonæ rei (adeo bellua est multorum capitum) absque hoc foret superfuturum. Itaque ut iterum ille idem Seneca, *Non est hic sine ratione populis urbibusque consensus, sic protegendi amandique Reges, & se suaque jactandi, quocunque desideraverit imperantis salus. Neque hæc vilitas sui est, aut dementia; pro uno capite tot millia excipere ferrum, ac multis mortibus unam animam redimere, nonnunquam senis & invalidi. Quemadmodum totum corpus animo deservit, & cum hoc tanto majus sit atque speciosius, ille in occulto maneat tenuis, & quâ sede lateat incertus, tamen manus, pedes, oculi, negotium illi gerunt, &c.* Sed velim in se ut descendant isti poplicolæ. quod si a se impetrent, jam rogatos velim, an imperium unquam fuerit populi. Cum rogantibus eum Scribis & Pharisæis Salvator noster voluit exhiberi sibi numisma, cum edoctus, esse expressam in eo Cæsaris imaginem, edixit, dandum Cæsari esse, quod esset Cæsaris, nonne agnovit imperium non spectare ad populum, sed ad illum cujus imaginem habebat impressam exhibitum numisma? Dicendum omnino: Nam neque Princeps effigiem numismati, imprimen-

dam jubeat, quam pro Imperii jure. Ipſe id pervincit nominis ſonus, ſive enim a Numa Rege dictũ numiſma, ſive ἀπὸ τοῦ νόμου, in idem recidit. prius a Rege derivatum, oſtendit illud regale, ſive Imperii jus,non a populo, ſed a Rege arceſſi debere: poſterius idem confirmat; eſt quippe æs,aurum, argentum cudere, flare, ferire,regale; non illud a populo promanans, ſed quod competat pro Imperii jure. Ejus ergo ſunt cenſus. Ejus & alia compendia,uti illa de quibus ait textus, *Mulctarum ſevera compendia fiſco noſtro protinus importari debere nemo ignoret.* Nec Regi,quo minus id fiat pro jure ſummo Imperii,populus intercedit; quin ſi aut his, aut ſimilibus ſe interponat, capitalis flagitii reum ſe facit. Iura item tributorum, & quæ ejus generis ſunt plura ſic ſibi Rex habet propria, ut ad ea ne quidem populus aſpiret. Quin imo recte rem cenſentibus, ne quidem vera ſunt illa Senecæ, *Reges Imperio cuncta poſſidere, ſingulos Dominio.* Namque cum in bona noſtra, cum in actiones noſtras, major poteſtas ſit Legis ac Regis (cujus quidem Regis poteſtatem oſtendimus excedere poteſtatem legis) quam ſit noſtrummet ipſa atque ipſorum; verius eſt,directum dominium eſſe penes Regem, ſubjectis vero non aliud ſuperare, quam utile. Qua ſane in re,ut ut dura & præfractior videri poſſit, nullum tamen eſt flagitum dominationis. Quotieſcunq; intereſt Reipublicæ ut privatæ res in uſum publicum deſtinentur, omnem citra contradictionem neceſſe eſt, ut ſubditi jure ſuo decedant; ſi quid nolint, etiam cogantur & modo captis pignoribus, modo gravius coërceantur: ut videmus iſta indies contingere. Sed & approbat hoc

utilitas

utilitas publica, probat ipsa publica res, quæ incolumis privatas facile salvas præstat: *Publica* vero, ut ait ille, *perdendo, tua nequicquam serves*. Circa hæc talia non populi, sed Principis arbitrium versatur. Quod & poëtæ Ligurino notatum:

Quidquid habet locuples, quidquid custodit avarus
Iure quidem nostrum est, populo concedimus usum.

Quis porro unquam populus, vitæ ac famæ restituendi, criminibus aut noxæ eximendi sibi sub Rege potestatem fecit? Cujus sunt jura extremæ provocationis, nisi Regis? Et quoniam Brutus ac ejus simiæ volunt, posse populum ipsos Reges cogere in ordinem per Magistratus minores expediant vel ipsi, quis Magistratus illos minores creët? Populusne? minime gentium. An ipsi illi se ipsos? Neq; hoc. Omnes omnino Magistratus, vel ductandis exercitibus, vel juri dicundo præfecti, hoc quod sunt, ut notavi, Regi debent. Vnde hoc, nisi quod sint, & spectent ea ad ipsum, quo dictum est, jure. Hoc idem est quod legitur libro Hester, *Honorabitur quem Rex voluerit honorari.* de populo altum silentium. Magistratus hos etiam abdicare qui potest, idem Rex est, non populus: Rex, quod ei tale jus sit; non populus, quod eo destituatur. Vnde apud Claudianum Princeps

Solus
Iura Magistratusque facit.

Iura nempe, quæ mutus sint Magistratus: Magistratus, per quos Leges ac jura vivant. Ergo & militum habere delectus,

delectus, exercitus, copias conscribere, bella gerere, fœdera sancire, pacem firmare populus, minoresve Magistratus nequeunt, Rex absolute potest. Sed quid necesse est percensere singula? cum ex jam dictis apparere satis possit, quæ de populo supra Regem, de collato ei per populum imperio, & similibus adferunt monarchomachi, non esse nisi nugas bullatas, habere quidem nonnihil specie tenus, sed quæ examen non ferant, & penitius introspecta pelluceant. Alterum commentum, cur (si diis placet) possit se populus ab obedientia Principis subducere, est, quod dicant, quoddam esse fœdus inter Deum, & populum & Regem, cui standum sit, & ni Rex steterit, nullis amplius obligationum vinculis ei populum teneri. Sed est commentum hoc plane diabolicum: neque enim aut usquam, aut unquam ex Deo fuit ista populi ab obligatione sua liberatio: quam nullus unquam mortalium adstruat ex Sacra scriptura. Fœdus quod dicitur intercedere omnino planum est. Lex ejus in verbis Samuelis disertim compræhensa est: *Si timentes Domini colueritis eum, & auscultaveritis voci ejus, neque rebellaveritis præstituto Domini, utique permanebitis, tum vos, tum etiam Rex ipse, qui regnat supra vos, sequentes Dominum deum vestrum. Sed si non auscultaveritis voci Domini, & rebellaveritis Domini præstituto, utique erit manus Domini contra vos, ut contra parentes vestros.* Ergo tenentur & Rex & populus Deo obedire, & populus Regi. Sed si ex istius fœderis lege contingat, non obedire Regem Deo, populum autem obedire, quid sequetur? Hoc quidem, ut Rex non possit ullam culpam fœderis non adimpleti

rejicere

rejicere in populum, si quod muneris erat sui fecerit; sed ut ideo solvatur ab obedientiæ nexu populus, id vero nulla divina lege sancitum est. Manebit ipse populus sors, hæreditas Dei viventis, Regis commissa non luet. Non erit manus Dei contra ipsos, nisi quo modo fuit contra parentes ipsorum, immorigeros, ac rebellantes. Animam quæ peccaverit ipsam morituram esse, ipsam Dei vindices manus experturam, indicat textus iste. quid obedientiæ nexui intercedit cum illo pacto commune? quin clarum est, alterum absque alterius ope posse subsistere. Erit malus Rex, divinæque iræ patebit; sed non ideo convelletur obedientia erga eum, qui soli Deo peccavit, neque ideo quod malus sit Rex, etiam Rex esse desistet. Quod si acutuli isti, hunc esse loci istius sensum nobis persuasum velint, fore manum Dei contra populum, si non auscultaverit voci Domini vel Rex ipse, si Rex Deo rebellaverit; videant ne sua nobis pro textus ipsius verbis venditent, neque & ipsum Deum barbarum, inhumanum, immanem faciant, qui satagentem fœderis jurati populum, velit ideo in criminis reatum adduci, quia Rex non steterit fœderis legi. Absit. Potuit affligi, potuit successibus ad vota non respondentibus arctari, potuit probari; sed interim anima quæ peccarit ipsa moriatur, iniquitatem patris filius ne ferat. Sed quid opus est operosa hic confutatione? Si cui populo ex tali fœdere jus aliquod fuisset, omnino id fuisset populo Israëlis; namque & hujus solius fœdus è sacris adduci potest in exemplum. At ille, ne per somnium quidem id sibi juris arrogavit. Amplius dicam, malos, improbos

Reges, propalam fœdi fragii reos peractos, ac divinitus quidem, & condemnatos quoque habuit non paucos. Si cui unquam populo tralatitium fuit

humili læsisse veneno
Summa, nec impositos unquam cervice volente
Ferre duces,

certe Israëliticus is fuit, neque dubium quin etiam se sibi ac libertati suæ fuerit asserturus, si quod habuisset jus se sibi asserendi, si quam potestatem. Cum in nullis necessariis temporibus suis, in nullis item opportunitatibus, jure hoc sint usi, nempe ut iis ignotum fuerit relinquitur. Plura his ad luxandam subjectorum obedientiam nescio peti è Scriptura sacra; utique adducta vidisse non sum memor, quare nec longior hic ero. Vnum est quod intactum prætermitti non potest: nimirum hos homines, ubi vident in Novo Fœdere non modo se nihil habere præsidii, sed & plurimum sibi ejusce præcepta adversari, eo delabi solere, ut dicant illo sæculo talia quidem fuisse data præcepta obedientiæ, qualia urgemus nos, sed tum sub jugo tyrannorum gemuisse Ecclesiam, neque vires suas aut asserere sibi potuisse aut explicare. Quo quid ineptius? quasi destituerit Euangelistas atque Apostolos Spiritus sanctus, aut præcepta in horam & diem dederint potius quam in sæculum & in sæcula sæculorum. Oppido putidus & nihili sit, si quem dicere non pudeat, inconcussę veritati aliquod à tempore dari laxamentum posse: esse eam versipellem, mutabilem, & pro

& pro rerum temporumve momentis circum agi in gyrum. Neminem profecto cordatum talium non dispudeat. Iidem & cum dicunt, gemuisse adeo Ecclesiam illo sæculo, parũ attendere videntur quæ potestas & Christi fuerit ipsius, & Apostolorũ, si ad hæc talia voluissent animos adjicere. Sed quo ne subsidia à miraculis petere velle videamur, id ipsum quod illi obtendunt inspiciamus de oppresso ac tantum non perdito Ecclesiæ statu. Quod quidem falsissimum esse facile convincitur, Tertulliano teste, qui ab Apostolicis temporibus vixit non nimium remotus. Sic ille: *Si malum malo dispungi penes nos liceret, vel una vox pauculis faculis largitatem ultionis posset operari. Sed absit ut aut igne humano vendicetur divina secta, aut doleat pati in quo probatur. Sin autem hostes extraneos, non tantum vindices occultos agere vellemus deesset nobis vis numerorum & copiarum? Externi sumus, & vestra omnia implevimus, urbes, insulas, castella, municipia, conciliabula, castra ipsa, tribus, decurias, palatium, senatum, forum. Sola vobis relinquimus templa. Cui bello non idonei, non prompti fuissemus, etiam impares copiis, qui tam libenter trucidamur? Si non apud istam disciplinam magis occidi liceret, quam occidere, potuimus (et) inermes, nec rebelles, sed tantummodo discordes, solius divortii invidia adversus vos dimicasse. Si enim tanta vis hominum in aliquem orbis remoti sinum abrupissemus à vobis, suffudisset utique dominationem vestram tot qualiumcunque amissio civium, imo etiam ipsa destitutione puniisset. Procul dubio expavissetis ad solitudinem vestram, ad silentium rerum, & stuporem quendam: quasi mortuæ Urbis reliquias*

quæsissetis, quibus in ea imperaretis. Quare nihil reliquum est, quam ut figmentis istis ipsa veritas Euangelici non consilii, sed præcepti opponatur, quod multijugis rationibus vallatum, in omnem vitam, & in omnes omnium actiones, sese penetrat atque intromittit, quæcunque à nobis supra dicta sunt ambitu suo includens. Sic ergo infit Apostolus, *Omnis anima potestatibus sublimioribus, sive dominantibus, esto subjecta.* Hujus præcepti amplitudinem jam ante circa illud exhibuimus, quod omnem animam sub se comprædendat; restat ut etiam, quam late patere debeat ipsa obedientia illa seu subjectio, attendatur. Id quod nos docet Bernardus: *Perfecta,* inquit, *illa est obedientia, quæ terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis, largiori voluntate fertur in latitudinem charitatis, ad omne quod offertur spontaneo vigore liberalis alacrisque.* Hujusmodi obedientiam respectans Chrysostomus, monet, ut ne rationem exigamus eorum, quæ à Deo fiunt, verum quidquid ordinaverit, id omne admittamus, nihil anxie indagantes, nihil curiose perscrutantes, licet in animi humani rationem non cadat, quod ille mandaverit. Est & illud tertio loco in dictis verbis consideratione dignissimum, cum sublimioribus potestatibus omnem animam subjectam esse vult, quod & meliores pejoribus obedientiam debeant, dummodo emineant illi; Regi ergo omnes. Simile huic & quasi præludens exemplum in humili rhamno, sive Cynosbato, cui ut pote ab aliis arboribus in Regem electo decedunt cum oliva, ficubusque, & vites, & his celsiores cedri Libanotides. Exemplo sit nobis in No-
vo

vo Fœdere ipse Salvator, quem discimus serio suos hortatum, ut quæ à Scribis ac Pharisæis edicerentur servarent, addita ratione, *quia hi Mosis Cathedram insiderent.* Sic Chrysostomus: *Si in asina & divinatore operata est gratia Dei, propter dispensationem & utilitatem Israelitarum, manifestum est, quod neque in nobis operari detrectabit, sed & hoc facere sustinebit propter vos. Nemo itaque dicat, tenuem me esse & humilem, & nulla observatione dignum. Vel sic me observate. Sum enim talis. Perpetuus Dei mos est, multorum gratiam etiam talibus applicare. Et ut hoc discatis, ad Cain dignatus est loqui popter Abel; diabolo, propter Iob; Pharaoni, propter Ioseph; Nabuchodonosori, propter Danielem, Balthasari propter eundem.* Dicendum ergo cum Tertulliano, autore & antiquissimo, & omnibus laudato, *Audaciam fore de bono divini præcepti disputare; neq; enim, quia bonum est, Deo auscultare debemus, sed quia Deus præcepit. Ad exhibitionem obsequii prior est majestas divinæ potestatis, prior est autoritas imperantis, quam utilitas servientis. Vtique quidquid Dei vice homo præcipit, perinde accipiendum est, ac si ipse Deus præciperet.* Atque hoc innuit Apostolus, cum addit, *Non esse potestates, nisi à Deo; & quæ sunt potestates, esse eas à Deo constitutas.* Quæ ipsa verba cum sint tam generaliter concepta, quam ulla concipi aut proferri possent, & generale præceptum non modo immediate excipiant, sed firmissima quoque ratione & argumento illud suffulciant, omnino & generalem & genuinam obedientiam requirunt. Quod ipso sui momento vel per se probant allegati textus verba. Nullas enim, ait nisi à Deo, esse potestates. Quo respiciens lib. 4. de Civitate Dei, ita pronunciat Augustinus;

Deus igitur ille fœlicitator, author & dator, quia solus ipse est verus Deus, dat regna terrena bonis & malis. Neque hoc temere, & quasi fortuito, quia Deus est, non fortuna; sed pro rerum ordine ac tempore nobis occulto, notissimo sibi, cui tamen ordini temporum non subditus servit, sed eum ipse, tanquam Dominus, regit, moderatorque dispensat: fœlicitatem vero non dat, nisi bonis. Idemque confirmans, libro sequenti, *Nullo modo credendum esse*, ait, *regna hominum, eorumque dominationes, & servitutes, a Dei providentiæ legibus alienas esse.* Sed & Apostolus quæ generatim edixit, quasi ad singulos digitum intendens ita repetit, ut nemo se hinc eximat: quod egregie summus quidam Theologus in hunc observat locum magno consilio hanc doctrinam à Spiritu sancto Ecclesiis fuisse propositam, ut qui velit suo quemque loco & tempore obtemperare Magistratibus præsentibus, atque ideo dici. Quæ sunt potestates, quasi dicat, Ne requiras Cyri, aut Alexandri Imperium: hæc Deus Iudex multo ante evertit, & constituit alia Imperia. Quæ sunt igitur, id est, quæ quolibet tempore regnant, hæc scito a Deo ordinata esse. Quare etiam Imperia nominat ordinationem Dei. Hinc obedientiæ necessitatē deducit, egregioq; Davidis exēplo ac rationibus confirmat sæpe nobis dictus ille Augustinus in lib.qu.Vet. & Nov.Test. *Non nescius*, inquit, *David, divinam esse traditionem in officio ordinis regalis: idcirco Saul adhuc in eadem traditione positum, honorificat, ne Deo injuriam facere videretur, qui his ordinibus honorem decrevit. Dei enim imaginem habet Rex, sicut & Episcopus Christi. Quam diu ergo in ea traditione est honorandus est, si non propter se, vel propter ordinem. Unde Apostolus,*

Omnibus,

Omnibus, inquit, *potestatibus sublimioribus subditi estote. Non est potestas, nisi à Deo, quæ enim sunt, à Deo ordinatæ sunt. Hinc est ut gentilem in potestate tamen positum honorificemus, licet ipse indignus sit, qui Dei ordinem tenens, gratias agit Diabolo. Nam ideo Pharaoni futuræ famis somnium revelatum est: & Nabuchodonosor aliis secum assistentibus, solus Filium Dei vidit in camino ignis, non utique merito suo, qui in idolo se adorari voluit, sed merito ordinis regalis.* Concludamus & nos ex iisdem Apostoli verbis decantatissimum illud & omnium ore jactatissimum, boni civis esse tueri præsentem statum. Concludamus item, genuinam omnibus deberi obedientiam, quam supra audivimus, velut Christo postulare Apostolum ut carnalibus dominis præstetur. Discant ergo, qui sibi hæc dicta sciunt (scit autem omnis anima) sese Divinæ voluntati omnino permittere. *Iustus nihil sibi arrogat, sed totum se committit Imperio,* ait Ambrosius de Noë & Arca cap. 21. & mox, *Verecunda justitia est, quia inverecunda iniquitas, quæ usurpat indebita, neque reveretur autorem.* Sane huic ordinationi resisti vetans Apostolus, maxime id cavet, ne hujus inobedientiæ adversus potestates eminentes prona facilitas, etiam inobedientiam erga Deum provocet ac promoveat: Quemadmodum Iudæi ait in Homilia 2. ad Timotheum Chrysostomus, Deum spernere didicerunt, quia Mosen contempserunt, quem lapidibus impetebant. Vel dicamus, ut supra, partem esse ipsius erga Deum obedientiæ, hanc quæ potestatibus præstatur: in istis illum etiam dehonorari. Hoc illud esse qui insurgit adversus potestatem, adversus Dei ordinationem insurgere, eoque & qui insurgunt

ſurgunt adverſus eas inobedientia inexcuſabili, ſupplicio addicens Apoſtolus, pronunciat judicium accepturos. In hanc rem illuſtre eſt illud Chryſoſtomi, *Non leve eſt Deum in exiguo contemnere, qui non tantum ad qualitatem peccati reſpicit, quam ad perſonæ contemptum: propter quod non homini ſoli intendendum eſt, quale ſit quod jubetur, ſed etiam quantus ſit ille, qui jubet*. Idem alibi prudentiſſimum vocat, qui non tam conſideret, quid juſſum ſit, quam illum qui juſſerit, nec quantitatem imperii, ſed imperantis cogitet dignitatem. Iure ergo his talibus qui adverſantur divini contemptus pœnas minatur Apoſtolus, de quibus non dicam latius, quum hoc ipſo capite de rebellione atque inobedientia numini inviſa, eoque graviter uſque dum punita ex profeſſo egerim. Hoc obſervaſſe, imo repetiiſſe ſufficiat, eadem, quæ ſupra ſtatuta ſunt, Apoſtolico nunc eloquio confirmari. Vt & iterum per ea quæ verſiculo quarto ſequuntur: *Miniſter enim Dei eſt, tibi ad bonum, ſed ſi male facias, time: Nequaquam enim fruſtra accinctus eſt gladio. Miniſter enim eſt* Dei *& vindex iræ illis, qui faciunt malum*. Si ergo miniſtri Dei ſunt, ſi ad bonum miniſtri bene facientibus, ſicut male facientibus vindices ſunt iræ divinæ, & in hac quoq; vindicanda miniſtri Dei, non eſt quod obedientiam populus detrectet, quaſi Rex populi gratia ſit creatus, potius quam ad hoc à Deo conſtitutus, ut ſit Dei Miniſter. Nuſquam eſt, quod Scriptura Regem vocet Regem populi, illo intellectu, quo quis dicat Regem creatum fuiſſe populi cauſa, Regem ſuper populum frequenter vocat: hoc vero loco directe poteſtates appellantur Miniſtri Dei, neutiquam vero

populi ministri. Quo cum omnibus obedientiam summopere inculcet, tum vero id fortius facit Apostolus, cum adjungit esse ministrum ad bona, sed & hoc ipso quod adjungit, ministrum esse Dei, & ad vindicias iræ divinæ accinctum. Non est ut quis, nisi ex professo sacrilegus qui sit, dubitet, quod à Deo sit, fiatne bonis in bonum. Pariter sacrilegus sit, & perduellis in Deum juxta ac Regem, qui in jussa aut facta Regis involet, quæ tamen nescit, an non velit illa sic Deus fieri per Regem, non tam quidem ut Regem, quam ut ministrum suum, & cujus ministerio uti velit ad expianda commissa contra se, & satisfaciendum iræ, quam concepit. Nihil certius est illo testimonio Gregorii Magni in Moralibus suis ad Iobū: *Deus etiam tunc misericordiæ dona tribuit, cum irrogat vindictam, quia, dum superbos punit sanctos erudit, ut unde illi deficiunt justi in suis profectibus adjuventur.* Addamus vero, quod omnibus confessum, vix à quoquam tamen attenditur, etiam tunc divina ordinatione piis in bonum ministrare magistratus, cum ipsos illo permittente vel afflictionibus (nam & hæ ad salutem faciunt) exercent. Eligitur quidem Saul, ut exemplo quoque stabiliantur à me dicta, male expetitus; post electionem illius edicit Samuel, si post Deum steterint & Rex & Populus, id est, si Deo se morigeros præbuerint, & Regi & Populi propitium numen esse futurum. Eligitur ut minister Dei salvaturus populum. In bonum ergo benefacientibus. Sed & dum eligitur, duriorem eum esse in subjectos futurum, non obscure elucet. Hoc & Vatablo notatum & Lyrano, qui Hebraïcum *Iatsor*, quod vulgo vertitur, do-

minabitur, idem esse dicunt, quod cohibebit. Quo sensu etiam dubio procul dictum Psalmo 2. cohibebis eos virga ferrea: Indicatur, inquam, Regem gravi illo sui imperii jure usurum esse: Unde hoc, quia vult Deus duri-cervici populo ostendi, unde retrocesserit: quia vult & per eum ipsum cui obedire debeant ipsos puniri. Factum autem hoc à Deo fuisse nemo mirabitur, qui modo Deum sibi talem proponet, qualem se Israelitis in Theocrasia exhibuit. Manna fastidita qui carnes efflagitarunt & coturnices adnauseam, imo & ad necem accepere. *Adhuc esca eorum erant in ore ipsorum, & ira Dei ascendit super eos, & occidit pingues eorum, & electos Israel impedivit*, inquit psalmographus. Hoc ipsum circa postulatos Reges perpendens Hieronymus, ad illud Hoseæ, dabo Regem in furore meo, & auferam in indignatione mea, *id factum*, ait, (verba ipsius sunt) *non quod voluerit Deus illos tales Reges habere, sed quod dimiserit eos voluntatibus suis, ut comedentes & incrassati carnibus, nausearent & evomerent per nares suas, & odisse inciperent eos quos tanto studio sequebantur.* Nimirum hoc voluerant Israelitæ, qui Samuele spreto Deum ipsum projecerant; quibus & in pœnam Rex partim impositus, ut nec Deo jam placere possent, nisi quod sibi quæsiverant malum æquo animo ferrent. Cum talis sit hæc ordinatio divina, nequaquam certe violanda, hinc ejus infert Apostolus observandæ necessitatem; quam & graviter inculcat atque confirmat Augustinus in expositione quarundam propositionum in Epistola ad Romanos, Proposit. LXXIV. *Quod ait*, inquit ille, *Ideoque necessitate subditi estote, ad hoc valet, ut intelligamus, quia necesse est*

propter

propter hanc vitam subditos nos esse oportere, non resistentes, si quid illi auferre voluerint in quo sibi potestas data est, de temporalibus rebus: quæ quoniam transeunt, ideo & ista subjectio non in bonis quasi permansuris, sed in necessariis huic tempori constituenda est. Tamen quoniam dixit necessitate subjecti estote, ne quis non integro animo & pura dilectione subditus fieret hujusmodi potestatibus, addidit dicens. Non solum propter iram, sed etiam propter conscientiam, id est, non solum ad iram evadendam, quod potest etiam simulate fieri; sed ut in tua conscientia certus sis, illius dilectione te facere, cui subditus fueris, jussa domini tui, qui omnes vult salvos fieri & in agnitionem veritatis venire. Et hoc enim cum diceret Apostolus, de ipsis potestatibus dicebat. Hoc est quod servis alio loco suadet, Non enim ad oculum servientes, quasi hominibus placentes, ut ob id ipsum quod subduntur dominis suis, non eos oderint, aut fallaciis promereri desiderent. Quod officium sit subditorum erga principes, ex hoc Apostoli loco luculenter quivis intelligat: Tria nimirum ista, quæ ad hanc nostram attinent quæstionem complectens inconcussa. quorum primum est, ut subditi mentibus suis quam serio infigant, Magistratui obediendum esse, quia sit Dei minister: alterum si quæ hic obveniant adversa, non esse ideo excutiendum obedientiæ jugum, neque rejiciendam in Deum culpam, sed in propria peccata, vel accipiendum pro divina probatione: tertium, ut facta divinitus Deo committant, ac permittant, & illius se sacrosancto beneplacito quam humillime submittant. Ad primum spectent illa Irenæi *Cujus jussu homines nascuntur, illius jussu etiam Reges constituuntur, apti his qui in illo tempore ab illis reguntur. Quidã enim*

illorum ad utilitatem illorum & correctionem subditorũ dantur, & ad conservationem justitiæ, quidam autem ad timorem, ad pœnam, & ad increpationem: quidam autem ad illusionem, contumeliam & superbiam. Secundum ſpectant illa Gregorii, qui ad Iobi verſiculum illum, Propter peccata populi facit regnare Hypocritam. *Nullus*, ait, *qui talem Rectorem patitur, eum quem patitur accuſet, quia nimirum fuit ſui meriti, perverſi Rectoris ſubjacere ditioni. Culpam etiam proprii magis accuſet operis, quam injuriam gubernantis.* Certe Iſiodorus ad hunc ipſum textum, in verbis, Non eſt poteſtas, niſi à Deo, bonam à propitio, malam ab irato atque averſo, colligit conſtitui. *Reges*, inquit, *quando boni ſunt, muneris eſt Dei, quando vero mali, ſceleris eſt populi: ſecundum enim meritum plebium, diſponitur vita Rectorum.* Et poſt multa in hanc rem adducta concludit: *Iraſcente Deo talem Rectorem populi ſuſcipiunt, qualem per peccata meruerunt.* Eodem pertinet illud Auguſtini contra primam epiſtolam Manichæi: *Quidquid divinitus ante ultimum illud judicium vindicatur, ſive per improbos, ſive per juſtos, ſive per neſcientes, ſive per ſcientes, ſive occulte, ſive palam, non ad interitum hominum, ſed ad medicinam valere credendum eſt, quam qui reſpuerint extremo ſupplicio præparantur.* Ex quo eodem apparet, quod tertium conſtituimus, ſcilicet ex re noſtra eſſe, ut Dei beneplacito nos totos permittamus, quod idem ille egregie, ut omnia, quà per rationes, quà per exempla, eximia doctrina format, ut in lib. de natura boni adverſũ Manichæos cap. 32. *Poteſtas non eſt, niſi à Deo, ſicut ſcriptum eſt, loquente Sapientia Per me Reges regnant, & tyranni per me tenent terram. Dicit & Apoſtolus, Non eſt poteſtas, niſi*

à Deo

à Deo. Digne autem fieri in libro Iob scriptum est, qui regnare facit, inquit, hypocritam hominem propter perversitatem populi. Et de populo Israël dicit Deus, Dedi eis Regem in ira mea. Injustum enim non est, ut improbis accipientibus nocendi potestatem, & bonorum patientia probetur, & malorum iniquitas puniatur. Nam per potestatem Diabolo datam, & Iob probatus est, ut justus appareret: & Petrus tentatus est, ut non de se præsumeret: & Paulus colaphizatus, ne se extolleret: & Iudas damnatus, ut se suspenderet. Cum ergo per potestatem, quam Diabolo dedit, omnia juste ipse Deus fecerit, non tamē pro his juste factis, sed pro iniqua nocendi facultate, & voluntate, quæ ipsius Diaboli fuit, ei reddetur in fine supplicium, cum dicetur injustis qui ejus nequitiæ consentire perseveraverint Ite in ignem æternum, quem paravit pater meus diabolo, & angelis ejus. Sed & hoc sedulo observandum populo, etiam ipsis qua Regibus, qua populis sæpenumero divinitus auferri vires, quibus se tueantur ac sustentent; sic quoque ut nolit populo quidquam præsidii in Rege relinquere, atque adeo ut sarcastice etiam quandoque infractas vires & Regi & Populo exprobret: sicut in illo Hoseæ 13. *Ubi nunc Rex tuus? Maxime nunc te salvet in omnibus urbibus tuis: ubi nunc Iudices tui, de quibus dixisti, da mihi Regem & Principes?* Quoquo modo acquiescendum ordinationi divinæ est: tam illi liberum est, ut qui malus sit regnet, quam ut bono Rege subditi lætentur. Cum sub malo pressus ingemiscit populus, tum malis incumbentibus patientiam opponat, tum prudenti rerum æstimio incommoda regni commodaque inter se componat, & tristia meliorum interventu emolliat. Quid enim Christianis magis com-

mendatur quam patientia? Cujus hoc est, *Quemadmodum scriptum est propter te morti tradimur tota die, habiti sumus velut oves destinatæ mactationi*, ejus etiam illud est, *Neque unquam malum pro malo reddatis, non vosmet ipsos ulciscentes dilecti, quin potius, date locum iræ: scriptum est enim mihi ultio, ego rependam dicit Dominus. Si igitur esuriet inimicus tuus, pasce illum, si sitit, da illi potum; hoc enim si feceris coacervabis carbones in caput illius.* Nihil Apostolis inculcatum frequentius illo, *Tradent vos in concilia, & in conciliabulis suis flagris cædent vos: quin & ad Principes & ad Reges ducemini propter me, in testimonium ipsis & gentibus. A Synagoga excludent vos: sed & veniet tempus, ut quisquis interficiat vos, videatur cultum Deo præstare.* At quæ data mandata resistendi? utique nulla. Nec mirum; quo enim jure magis resisteretur principibus, quam quibusvis aliis injuria nos afficientibus? Effugium si pateret, hoc concessum est; *Quum vos in hac civitate persequentur, fugite in aliam.* Sed si nullum pateret, restabat aliud nihil, nisi hoc, *Ne vincaris à malo, sed vince malum bono. Per patientiam possidete animas vestras*, & similia. Tanto mandato summa fuit addicta merces: *Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam, quoniam ipsorum est regnum cælorum. Qui perdidit animam suam propter me servabit eam.* Qua tanta mercede proposita, videre est Apostolos, quum cœtis præciperetur *ne loquerentur amplius in nomine Jesu; gaudentes à conspectu concilii abiisse, quod digni habiti essent, qui pro nomine ejus contumelia afficerentur.* Horum vestigiis tantum non omnes illi primi piique Christiani institerunt; quorum si numerum dicere velim,

Icariæ numerum dicere coner aquæ.

Ambrosium tamen citare lubet seorsum, qui cum vellent Iustina & Valentinianus basilicam Arrianis tradi, *Volens*, inquit, *nunquam deseram, coactus repugnare non novi. Dolere potero, flere potero, gemere potero. Adversum arma, milites, Gothos, lachrymæ meæ, mea arma sunt. Talia sunt munimenta sacerdotis. Aliter nec debeo, nec possum resistere.* Quo vero ne quis putet hæc dictis facilius, quam factis exprimi posse, certe sciat oportet hæc tanto antistiti è fibris eruta, non in labris, quod ajunt, fuisse nata. *Ambrosius*, inquit Ruffin. lib.2. c.16. *adversus reginæ furorem non se manu defensabat, aut telo, sed jejuniis, continuatis vigiliis, sub altari positus, per obsecrationes defensorem sibi atque Ecclesiæ Deum parabat.* Hoc unum esto subsidium: alterum levamen à prudenti rerum consideratione petatur. Quod neque ipsum à praxi veterum Christianorum diversum abit: ut intelligere est ex Augustini Epistola ad Petilianum, qui cum ei malos Reges identidem objectaret, constanter & cordate respondit: *Enumerare conatus es, quos Reges justi senserint inimicos, nec considerasti, quod plures enumerari possint, quos habuerint amicos. Pater Abraham à Rege divinitus admonito, ne uxorem ejus attaminaret, ut amicissime habitus est, & munera accepit. Isaac filius ejus Regem similiter amicissimum expertus est. Iacob in Ægyptum à Rege honorabiliter acceptus, eum etiam benedicit. Quid loquar de filio ejus Ioseph, qui post carceris tribulationem, quo velut igne aurum, sic castitas ejus probata est, magnis ab eo sublimatus honoribus, jurabat etiam per Pharaonis salutem, non tanquam typho elatus, sed beneficentiæ non ingratus.*

Regis

Regis filia Moysen adoptavit, David ad alienigenam Regis Israel compulsus iniquitate confugit. Helias ante currum pessimi Regis, non illius imperio, sed suo cucurrit obsequio. Helisaus hospita mulieri, si quid sibi forte à Rege per ejus intercessionem præstari vellet, etiam ultro offerendum putavit. Neque est quod vel ab Ethnicis hoc idem doceri pudeat Christianos. Monet nos Historicorum princeps, *Ferenda esse Regum ingenia, nec usui esse crebras mutationes.* Apud eundem præclare nostras Cerealis. *Quomodo sterilitatem & nimios imbres, & cætera naturæ mala, ita luxum vel avaritiam dominantum tolerare. Vitia erunt donec homines, sed nec ea continua, & interventu meliorum pensantur.* His ac similibus rationibus moti, quomodo se gesserint primi illi Christiani, audi ex Tertulliano ad Scapulam: *Nos*, inquit, *pro salute Imperatorum Deum invocamus, æternum Deum, verum, & vivum, quem & ipsi sibi Imperatores propitium super cæteros malunt.* Quam autem enixæ illæ fuerint preces, & ipse ostendit: *Omnibus*, inquit, *imperatoribus precamur vitam prolixam, imperium securum, domum tutam, exercitus fortes, senatum fidelem, populum probum, orbem quietum, & quæcunque hominis & Cæsaris vota sunt.* Quas etiam preces vires habuisse apud Deum gloriatur: *Marcus Aurelius*, inquit, *in expeditione Germanica, Christianorum militum orationibus, ad Deum factis, imbres & victoriam impetravit.* Multum notabilia sunt quæ apud Iustinum Martyrem citantur ea de re verba, ex ipsius Marci epistola ad senatum. Sunt autem hæc quæ sequuntur. *Projicientes se in terram Christiani non pro me tantum, sed pro universo exercitu, qui tum aderant precati sunt, ut ita solatio*

nobis

nobis essent in præsenti fame & siti, in quintam enim jam diem aquam, quod ea defecisset non ceperamus: nam in meditullio Germaniæ, & in finibus hostium eramus: Simulatque vero illi in terram sunt provoluti, & Deum precatione invocaverunt, quem ego ignorabam, confestim aqua de cœlo est consecuta, ad nos illa quidem frigidissima, in Romanorum vero hostes grando ignea. Hæc obedientia quam Deo grata, tam certo sibi & ejusce benedictionem spondeat, inobedientia, promeritas exspectet ac prædictas pœnes, nominatim ipsum rerum publicarum interitum; quem ab hoc solo malo Romano imperio Seneca ominatur. *Hic casus pacis Romanæ finis erit*, inquit, *hic tanti fortunam populi in ruinas aget. Tam diu aberit ab isto periculo hic populus, quam diu sciet frænos ferre, quos si quando abruperit, vel aliquo casu discussos, sibi reponi passus non erit, hæc unitas, & hic maximi imperii contextus in partes multas dissiliet, idemque huic urbi dominandi finis erit qui fuerit parendi.* Atque hic quidem finem huic capiti imponere visum erat: ut tamen majus à me dictis robur accedat, ob argumenti ejusdem tenorem adscribere è re putavi concilii Tolerani quarti caput quartum supra septuagesinum; simul etiam ut omnibus exploratissimum compertissimumque tandem sit, ea quæ hactenus à me prolata sint, talia esse, ut & illa totius concilii conspirans in unum consensus, non sanctè minus ac piè, quam graviter ac cordatè confirmarit.

CAPUT POSTREMUM CONCILII TOLETANI IV.

POst instituta quædam Ecclesiastici Ordinis, vel decreta quæ ad quorundam pertinent disciplinam, postrema nobis cunctis sacerdotibus sententia est, pro robore nostrorum Regum & stabilitate gentis Gothorum, pontificale ultimum sub Deo judice ferre decretum. Multarum quippe gentium (ut fama est) tanta extat perfidia animorum, ut fidem sacramento promissam regibus suis observare contemnant, & ore simulent juramenti professionem, dum retinent mente perfidiæ impietatem. Iurant enim regibus suis, & fidem quam pollicentur, prævaricantur: nec metuunt volumen illud judicii Dei, per quod inducitur maledictio, multaque pœnarum comminatio super eos, qui jurant in nomine Dei mendaciter. Quæ ergo spes talibus populis, contra hostes laborantibus, erit? Quæ fides ultra cum aliis gentibus in pace credenda? quod fœdus non violandum? quæ jurata in hostibus sponsio stabilis permanebit, quando ipsis propriis Regibus fidem non servant? Quis etiam adeo furiosus est, qui caput suum manu sua propria defecet? Illi (ut notum est) immemores salutis suæ, propria manu seipsos interimunt, in semetipsos suosque Reges proprias convertendo vires. Et cum Dominus dicat: Nolite tangere Christos meos: *& David:* Quis, *inquit*, extendet manum suam in Christum Domini; & innocens erit? *illis nec vitare metus est perjurium, nec Regibus inferre exitium.*

Hosti-

Hostibus quippe fides pacti datur, non violatur. Quod si in bello fides valeat, quanto magis in suis servanda est? sacrilegium quippe est, si violatur à gentibus Regum suorum promissa fides: Quia non solum in eos fit pacti transgressio, sed & in Deum, in cujus nomine pollicetur ista promissio. Inde est, quod multa regna terrarum, cælestis iracundia ita permutavit, ut pro impietate fidei & morum alterum ab altero solveretur. Unde & cavere oportet, casum hujusmodi gentium, ne similiter plagâ feriamur præcipiti, & pœna puniamur crudeli. Si enim Deus angelis in se prævaricantibus non pepercit, qui per inobedientiam cæleste habitaculum perdiderunt, unde & per Esaiam dicit : Inebriatus est gladius meus in cœlo: *quanto magis nos interitum salutis nostræ timere debemus, ne per infidelitatem eodem sæviente Dei gladio pereamus? Quod si divinam iracundiam vitare volumus, & severitatem ad clementiam provocare cupimus, servemus erga Deum religionis cultum atque timorem, custodiamus erga Principes nostros, pollicitam fidem atque sponsionem. Non sit in nobis, ut in quibusdam gentibus, infidelitatis subtilitas impia, non subdolæ mentis perfidia, non perjurii nefas, & conjurationum nefanda molimina. Nullus apud nos præsumptione regnum arripiat, nullus excitet mutuas seditiones civium, nemo meditetur interitus Regum; sed, defuncto in pace Principe, primates gentis cum sacerdotibus successorem regni consilio constituant, ut dum veritatis concordia à nobis retinetur, nullum patriæ gentisque diffidium, per vim atque ambitum moliatur. Quod si hæc admonitio mentes nostras non corrigit, & ad salutem communem cor nostrum nequaquam perducit; audi sententiam nostram: Quicunque ergo ex nobis vel totius Hispaniæ populis, qualibet conjuratione vel studio, sacramentum fidei suæ, quod pro patriæ gentisque*

Gothorum pollicitus est, stabilitate temeraverit, aut Regem necē attrectaverit, aut potestate regni exuerit, aut præsumptione Tyrannica regni fastigium usurpaverit: anathema sit in conspectu patris & angelorum, atque ab Ecclesia Catholica, quam prophanaverit perjurio, efficiatur extraneus, & ab omni cœtu Christianorum alienus, cum omnibus impietatis suæ sociis: quia oportet ut una pœna teneat obnoxios, quos similis error invenerit implicatos. Quod iterum secundo replicamus dicentes: Et post hæc tertio repetita, atque acclamatione omnium probata, ista sequuntur. *Quapropter nos ipsi Sacerdotes, omnem Ecclesiam Christi, ac populum admonemus, ut tremenda hæc, & toties iterata sententia nullum ex nobis præsenti, atque æterno condemnet judicio: sed fidem erga gloriosissimum Dominum nostrum Sisenandum Regem custodientes, ac sincera illi devotione famulantes, non solum divinæ pietatis clementiam in nobis provocemus, sed etiam gratiam ante faciem Principis percipere mereamur: Amen. Te quoque præsentem Regem, futurosque sequentium ætatum Principes humilitate, qua debemus, deposcimus, ut moderati & mites erga subjectos existentes, cum justitia & pietate populos à Deo vobis creditos regatis, bonamque vicissitudinem, qui vos constituit largitori Christo reponatis: regnantes cum humilitate cordis, cum studio bonæ actionis. Ne quisquam vestrum solus in causis capitum, aut rerum sententiam ferat: sed consensu publico cum rectoribus ex judicio manifesto delinquentium culpa patescat: servata à vobis in offensis mansuetudine, ut non severitate magis in illis, quam indulgentia polleatis; ut dum omnia hæc auctore Deo, pio à vobis moderamine conservantur, & Reges in Populis, & Populi in Regibus, & Deus in utrisque lætetur. Sane de futuris Regibus hanc sententiam*

pro-

promulgamus, ut si quis ex eis contra reverentiam legum facinore sive cupiditate crudelissimam potestatem in populis exercuerit, anathematis sententia à Christo Domino condemnetur, & habeat à Deo sperationem atque judicium propterea quod præsumpserit prave agere, & in perniciem regnum convertere. De Simithilana vero qui propria scelera metuens, seipsum regno privavit, & potestatis fascibus exuit, id cum gentis consultu decrevimus, ut neque eum vel uxorem ejus propter mala, quæ commiserunt, neque filios eorum unitati nostræ unquam consociemus, nec eos ad honores, à quibus ob iniquitatem dejecti sunt, promoveamus. Quique etiam, sicut fastigio regni habentur extranei, ita à possessione rerum, quas de miserorum sumptibus auxerant, maneant alieni, præter id quod pietate piissimi Principii nostri fuerint consecuti. Non aliter & Geillanem, memorati Simithilanæ & sanguine & scelere fratrem, qui nec in germanitatis fide stabilis extitit, nec fidem gloriosissime Domino nostro pollicitam conservavit. Hunc ergo cum conjuge sua, sicut & antefatos à societate gentis atque consortio nostro placuit separari, nec in amissis facultatibus, in quibus per iniquitatem creverant, reduces fieri, præter id quod consecuti fuerint pietate clementissimi Principis, cujus gratia bonos donorum præmiis ditat, & malos à beneficentia sua non separat.

CAP. X.

De Majestate Reali, sive Regni.



MAjestatem scriptorum nonnulli dividunt in personalem, quæ penes Regem, & Realem, quæ penes ipsum Regnum sit. Rectene, an secus, non disceptabimus, dummodo ejus, quod nunc in disquisitioné venit, securi simus. Realem duplici modo considerant: primo, quo sine regno constitui non possit, sed in eo ipso insit ac permaneat, unde nec avelli citra exitium magis possit, quam vita ipsa ab homine: secundo, quo regno quidem etiam ipsi adhæreat, sed sic tamen, ut quæcunque ipsum regnum persona obtineat, eam comitetur, etsi nullo personali, sed uno, eoque perpetuo regni jure, unde neque extinguatur cum ipsa persona. Verius est, Majestatem, sive Regni illa sit, sive Regis, unam esse atque eandem planissime, & ipsos, qui sic eam dispescunt, in eo labi, quod non discernant rem ipsam, à modo rei habendæ. Dubio enim caret, tam in multorum, quam in unius cujusquam regimine veram esse Majestatem: æque item certum est, aliter Majestatem in hoc, quam in illo regimine haberi: quemadmodum & aliter atque aliter sæpe etiam pro rerum & temporum articulis. Sic Romæ, in interregno, quinis diebus, è decemviris singuli jussu Senatus Imperii summam repræsentabant. Sic etiam cum dictatorem dici visum (eo forte quod omnes ejus dicto audientes essent)

eſſent) ſpectavit ad ipſum, utique in ſpeciem, ſumma rerum. Halicarnaſſeus enim omnia ipſius fuiſſe poteſtati permiſſa dicit. Sed, ut Tacitus, *Dictaturæ ad tempus ſumebantur*: quin imo perſæpe & rei gerendæ ergo, ſeditionis ſedandæ, clavi pangendi, creandorum comitiorum, & quæ his ſimilia ſunt, dictatorem dictum in faſtis occurrit. Nemo tamen dicat, vel ſublato interregno vel dictatura depoſita, Majeſtatem quandam interregi, aut pridem dictatori conſtitiſſe. Idem eſto judicium de Græcorum Æſymnetis, Heduorum Vergobretis, & ſi qui alii hujuſmodi occurrant Magiſtratus, quos, ſumma potentia & authoritate præditos, præfinitum temporis ſpacium ad privatæ ſortis ſtationem reducebat. Adminiſtrabant hi ac repræſentabant Majeſtatem, ſuo quiſque modo, non ut propriam poſſidebant: erat enim ipſius regni. Quod ne quemquam turbet, rei ſcilicet inanimæ tribui Majeſtatem; cavillari non decet: Non ædes, non vici, non civitates regnum conſtituunt, ſed homines. Eſt ſuum regno corpus, ſed myſticum nempe, ut cuivis univerſitati. Proinde nec ambigendum, num ſit in eo Majeſtas, ſed qualis ea ſit, inquiri dignum eſt. Atque hoc dum eruitur, quomodo ſit conſtituta, non qualiter adminiſtretur ſpectandum: origo ejus attendenda, non exercitium illius juris, aut modus habendi. Realis ergo illa Majeſtas (liceat eam cum cæteris ita vocare) non minus aut naturalis eſt, aut divina, quam perſonalis. Etſi enim ſcribit Philoſophus. Ethic.8. φύσει ἀρχικὸν πατὴρ υἱῶν, καὶ πρόγονοι ἐκγόνων, καὶ βασιλεὺς βασιλευομένων: tamen omne eſt imperium à natura; non regni minus, quam regis. Eſt etiam eadem Majeſtas divina,

ratione

ratione ordines; quorſum illud referas, *Rex non eſt in locuſtis, & tamen ordine omnes procedunt*. Et naturalis, & divina eſt ratione finis: qui ubique idem, ſummum ſcilicet bonum politicum, & totius, atque ejus partium perennis, quantum datur, conſervatio. Dum ergo ne deſit in quem Regni nomine Majeſtatis conferatur exercitium, fieri nequit, ut deficiat cui imperetur: eoque dato, non jam ultra quidnam illud ſit quod imperitet, aut quod ſit abſolute ſummum, quærendum eſt.

Majeſtas mundum quæ temperat omnem
Quo primum partu eſt edita, ſumma fuit,

ait Poëta. Et hæc quidem Majeſtas, cum ſit realis, tanquam Regno cōgenita & coæva ſpectatur. Eadem etiam neque eſſe deſinit, niſi cum Regno. Non hanc delibant interregna, non diſcordiæ, non fatales imperiis mutationes, dum ne totum regnum ſubvertant aut evertant. Ipſa eſt regni baſis, ipſa fulcrum. Hoc Palladium illud eſt, hæc delapſa cœlo ancilia, hi denique æterni Veſtæ ignes, quorum pervigili cuſtodia, tutelaque totum imperii corpus conſervari veteres fabulabantur. Totius imperii jus ſic in hac MAJEſtate conſiſtit, ut de ipſa recte dici poſſit, quod ſit communis totius reipublicæ ſponſio. In tantum quidem, ut vel ipſo etiam Regno major eſſe non obſcure videatur: cum quæ abſolute ſumma hic poteſtas eſt, in fundamentalibus regni legitibus, earumque conſervatione, obſervantia, & exſecutione tota conſiſtat; leges autem illæ ſacroſanctæ ſint, ut ne quidem ab ipſo Regno in præjudicium poſteriorum tolli poſſint. Utique ergo

vel hoc nomine, atque in tantum Majestas illa Regno excellior reputari debet, quod neque ipsum Regnum, illam à se possit abdicare, ac vel in totum vel in partem imminutam ad posteros transmittere. Quod si contingat, eam majore vi, fraude, dolo, aut quocunque denique modo, prædictis legibus oppressis imminui, piæ sunt ad eam redasserendam posterorum vindiciæ, justa arma, & quæ citra ullam alicujus contradictionem, ex æquo se Deo atque hominibus probatura sit, violentia. Nam & conservandi quæ sic à majoribus ad posteros transmissa sunt naturalis est obligatio, & ipsis quasi ossibus inhærens, ad seros ultimosque adeo spectans nepotes: ut jus hic sibi quæsitum sit etiam nondum natis, nõ ad rem, sed in re, hæredibus quippe suis, & ultra præfixos à civili Romanorum lege fideicommisso terminos, fideicõmissariis perpetuis, hæreditariis, nec ullo pacto aut ullo jure submovendis, aut excludendis. Fundamentales autem eas leges quod sibi dixit ipsum est Regnum, neque id jure aut vi alicujus pacti aut stipulationis, sed pro jure suo, libertatis suæ, imperii sui, quod uni Deo obnoxium in æternæ cujusdam durationis indubiam spem per has leges (quantum quidem per naturam capit humanitatis sors ac conditio) æternum valituras erexit. Semel his constitutis, omnis ab iis deflexus nefarius est, omnis contradictio sacrilega, omnis ad eas subruendas conatus extremis suppliciis expiandus. Nam hæ quidem leges non modo instrumenta sunt Regni, nempe ut ejus administratio secundum ipsas sit dirigenda (quemadmodum leges instrumenta regnandi sunt) sed ita immediate ac principa-

liter Regnum ipſum ſpectant, ut ipſum in iis conſiſtat & ſubſiſtat. Ideoque ut parricidæ ſunt ipſius Regni, quicunque in haſce iſtas fundamentales ejus leges involare atque committere auſi fuerint. Nimirum hæ conſtituendum Principem leges ſibi proponant, non conſtitutum, ſicubi tamen conſtitutum agnoſcunt, non aliter agnoſcunt, niſi ſuo dictamini adſtrictum: Regnum etiam ipſum conſiderant, ut ſecundum ſui tenorem gubernandum, nequaquam vero cum ſui neglectu agendum ferendumve ad arbitrium alicujus aut nutum. Porro nihil intercedit, quo minus ipſum Regni corpus & retinendi & amittendi juris ſui ſit dominum. Cui vero id juris eſt, quin id aut retinere, aut abdicare à ſe, ſive in totum ſive pro parte poſſit, in controverſiam vocet nemo. Ergo hominibus liberis tam fuit in proclivi, abſolute ſe alteri gubernandos regendoſque permittere, quam ſub conditione: & vice verſa. Sed nihil naturali æquitati, convenientius, quam ſervari ea, quæ ſemel placuerunt. Ergo ſi Regem ſuper omnia conſtitui contingit, nullo reſervato jure, protinus illa Realis Majeſtatis evanuit ac deceſſit: non item, ſi ſub conditione. Tum enim ipſi regi lex dicta eſt, & quidem etiam (ſi non electione, ſed naſcendi ſorte regnum defertur) poſteris illius, dicta quibuſcunque ſucceſſuris, & quam diu ſtabunt ſuo loco regni ipſius res ac rationes, dicta lex eſt in omne ævum. Hoc caſu univerſaliter verum eſt, legem dicentis partes ſuperiores eſſe, præ quam ſint illius, qui legem accepit: qui ſe legi, quam accepit, jam tum ſubmiſit, & ſubmittere tenetur: qui abnuat, etiam adigi poſſit, con-

ſtringi

ſtringi ac cogi. Quare ut ne cumulemus non neceſſaria, omnia quæ de eſſentialibus Majeſtatis hactenus dicta ſunt, pro repetitis atque denuo aſſertis etiam hoc loco habentor.

CAP. XI.

De Realis & Perſonalis Majeſtatis inter ſe communione.

EX præcedentibus patet, utrumque hoc, quicquid eſt, poteſtatis abſolute ſummæ, per ſe ſtare; ac propterea ad hoc ipſum ut ſtet, alterum alterius ope aut cōſpiratione non indigere. Verum enimvero cū rerum experientia magiſtra doceat, influere ſæpenumero ea quę realis ſunt Majeſtatis in perſonalem, & à perſonali ad realem viciſſim nonnulla ſubinde conferri (qualia ſunt, inde apud Romanos Conſulum pro temporibus dictaturæ, dum dictator abſolute quidem ſummus eſt, & tamen ipſius populi Majeſtas: hinc vero illa principum profeſſio, qua ſe legibus principatum ſubmittere profitebantur; quod tamen ut facerent legibus ſoluti, non erat neceſſe) recte fecerimus, ſi tale intercedere oſtenderimus temperamentum, quod utrimque ſalutiferum, neutra de parte vel tantillum demat. Non nego, offerri hac in re nonnunquam, quæ magis conſilii ſint, quam aſſertionis alicujus demonſtrativæ: ſed ex adverſo etiam notum eſt,

quæ communicari possunt Majestatis jura, non ideo semper ex usu esse ut communicentur: ac neque ideo quod communicata sint, totam ad se Majestatem trahere, ut videre est in allegato statim dictaturæ exemplo. Sed de his sermo non est: atque idcirco omnia in planum deducere annitentibus dicendum est, frustranea circa Majestatis materiam esse omnia, quæ non generaliter dicuntur & absolute, procul habita ab omni alterius cujuscunque demum communione, interventu, mixtura. His ergo vestigiis insistentes in rem mediam descendamus. Clarum est, singula suos sibi fines quam maxime ob oculos ponere. Ipsum etiam finem Majestatis, non minus est evidens, summam esse libertatem. Quemadmodum ergo libere agit Deus, ita & Rex agere se posse quam liberrimè velit: sic & velit à sua parte Regnum: adeo ut nec possint hæc duo simul consistere, si ambo sibi relinquantur, aut in se ipsis principium agendi habeant. Oraculum est in hanc rem illud Lucani:

Dum terra fretum, terramque levabit
Aër, & longi volvent Titana labores,
Noxque diem cœlo totidem per signa sequetur,
Nulla fides regni sociis, omnisque potestas
Impatiens consortis erit.

Hinc & subjungit:

Nec gentibus ullis
Credite, nec longe fatorum exempla petantur,
Fraterno primi maduerunt sanguine muri.

Nec

Nec precium tanti tellus pelagusque furoris
Tunc erat, exiguum dominos commisit asylum.

Nota sunt & illa ad Iocastam Polynicis apud Tragicum,

Pro regno velim
Patriam, penates, conjugem flammis dare,
Imperia precio quolibet constant bene.

Ipsum per se regnum satis ad dissidia causæ est. Certe nec in realem ac personalem Majestas dispertiri possit, nisi vel huic vel illi ab altero sit habendum actionis aut motus principium. Nec enim summi ipsius æquale quid sit, nedum aliud summũ. Quandoquidem hic ergo de Regno, ut de summo est sermo, deque ejus Reali MAJESTATE, quam nulla sit quæ æquet, nedum vincat; planum est, eam, personalis Majestatis, quæ in ipso illo Regno existat, velut causam ac fundamentum esse; cujus causatum, & velut fundamento superexstructum sit MAJESTAS personalis. Hæc autem inter se diffidere non possunt: sed tamen, causam tolle, causatum ne quidem erit: idem & de fundamento dicere verum est. Ex adverso, eo sublato quod superexstructum fuerit, non desinet fundamentum esse capax alterius superexstruendi; nec sublato causato causam potestas deficiet, sese in aliud similiter à se aut causatum aut causandum promovendi. Tali ergo in Regno qui regnat, is non regnat ut Rex; id est, non regnat ille aut per se, aut suo jure, & quoniam Rex sit; sed quia ad hoc ipsum, ut regnet scilicet, à Regno in Regem est subvectus. Quod addictius regnat, Regno debet; quod remissius, eidem

 Regno,

Regno, & legi à Regno datæ. Non ille ibi ut Dominus consideratur absolute summus, sed ut Regni administrator, aut dispensator, quanquam cæteris sublimior. Idem ille quatenus in administrantem ac dispensantem Domini cadit aut nomen aut qualitas, etiam Dominus vocatur: sed verbo tenus duntaxat, & pro eminentioris dignitatis prærogativa. In eo differt à Majestate reali personalis, quod sublata Regis persona, confestim hæc intercidat, quæ in reali Rege extincto perseverat. Nam quæ sunt successionum jura, exprimunt ea ordinem succedendi, designant naturæ desiderium, & quid expediat velut præmonstrant, eoque etiam in fundamentalia regni tacite sic commigrant, ut naturalis habeatur talis successio, & nullo jure contrario, nullo aut pacto, aut facto immutanda; manet interim per rerum itidem factorumque naturam impossibile, ut personalia quæ sunt egrediantur personam, utque extincta persona non etiam ipsa extinguantur. In reali vero Majestate unitatis ratio hæc est, ut non nisi toto corpore extincto pereat: si vel caput ipsum tollas, solutionem contigui, ut ita dicam, patietur, non continui. Hic enim id fiet, si vel Regem avelli contingat, quod de ramo aureo canit Poëta,

Uno avulso, non deficit alter
Aureus, & simili frondescit virga metallo.

Introducitur ad regale culmen ac subvehitur Rex, per stipulationes, per pacta conventa, aut simpliciter. De simplici autem illo ad regnum accessu non loquimur. sermo est

eſt eo de regno, cujus imperium ſub conditione accipitur. Si pactis locus eſt, ſervanda eſt pactorum fides, ſanctiſſimum humani pectoris bonum. Nempe cum in ea deſcenditur, ac juxta ea recipiuntur imperia, ſic in unum corpus coaleſcunt realis & perſonalis Majeſtas, ſic utraq; indivulſa ſe explicat, ut quam diu aut pactis fides conſtat, aut obſervantia ſuſcepti mandati, ſcindi in partes aut dividi non poſſint; unde fit ut neque eas inter ſe diſſidere poſſibile ſit. Sin legibus, quas admiſerat calcatis, excuſſo, cui ſe ſubmiſerat, imperio tyrannidem Rex affectat (hæc enim vera Tyrannis, & ut in vita Miltiadis Æmylius Probus, *Omnes & habentur & dicuntur Tyranni, qui poteſtate ſunt perpetua in ea civitate, quæ libertate uſa eſt*) ipſe quidem dum res novas molitur, ſibi cauſam ſtatus mutat, ſed nequaquam Regno. Namque aut ſucceſſus eum deſtituit, & fundamentum libertatis manet inconcuſſum: aut fit voti compos, ſed manet tamen Regno ſuum jus; ille vero dum ipſo jure, ipſo facto excidit ſtatione in quam erat ſubvectus, adverſum omnes, regno libertatem vendicare & reaſſerere nitentes, agit improtectus. Ergo, ut videre eſt, duo ſunt, è quibus ipſa, quanta quanta eſt, deſumitur Majeſtas: imperii abſolute ſummi ſcilicet jus, & debita pro illo jure obedientia. Idem imperii jus eſſe in reali Majeſtate, quod ſit in perſonali, dictum eſt hactenus: dicendum etiam foret de membro ſecundo, videlicet obedientia, ni ſuperfluum id eſſet, quia poſito imperii ſummi jure quoque hæc ponitur, quin adeo iſtius juris vel ſolo nomine commemorato tota atque abſolute ea poſita eſt: ubi ſiquidem eadem eſt ratio, ibi eadem

juris

juris dispositio. Tam autem est à Deo Majestas realis, quam est personalis: par ergo debetur obedientia. Tam liberum est, Regnum quod unum sit corpore, quam Regem qui unum sit persona, supra se constituere. Hoc illove constituto, idem imperandi jus statim assurgit, eadem necessitas parendi. Deus Regi in se considerato est immediata causa causæ: itidem est Deus immediata causa Regni, in se ac per se considerati: sed respectu Regis, ut ab ipso Regno ad fastigium regale subvecti, causa causati est, & mediata. Quoquo modo, quæcunq; obedientia debetur, profluit illa à justis mandatisq; divinis. Non est ergo ut hæc operosius exsequamur. At enim duo restant dicenda. Prius est, ex jam dictis facile colligi posse, vastas illas & tantis animis agitatas disputationes de jure summę potestatis, quæ orbem Christianum non modo exercuere, sed & horendo parricidiorum, bellorum civilium, & impiè fusi sanguinis profluvio, dolendum magis, an exsecrandum in modum? toties totque ab hinc annis inundavere, nullo negotio in unam consonantiam duci. Nam in personali Majestate nefas sit ulla, prorsus monarchomachorum argumenta admittere: in Majestate reali locum illa inveniant, quatenus defensionem legitimam inter tutores Regni, ipsum Regnum ac res Regni non minus ipso, Rege administrantes, dispensantes, regentesque coercitam, tuentur; quatenus denique, respectu subditorum his tutoribus se adjungentium, docent, servitium ac ruinam libertatis bello etiam gravi posthaberi posse, Cætera quæ obedientiam revellunt, factiones suscitant, seditiones armant, in bella civilia, nec paranda nec habenda

per

per bonas artes protrudunt, exesse fas est. At quid exesse dico? quin demergi in horrendas abissi tenebras; & eo ablegari, ubi neque nomina neque facta Pelopidarum audiantur. Posterius est, uon melius quæ quantaque sit Majestatis realis cum personali convenientia, judicari posse, quam ex juramento, quo fere semper ipsi Reges ubi Regnum capessunt se illigant. Quod ut recte etiam à nobis inspiciatur ac discutiatur, primum de juramento generali, quod Reges omnes præstant, deinde eo de juramento agemus quod non nisi ab illis præstatur, qui imperii sui principia non à se habent, sed aliunde consequuntur.

CAP. XII.

De differentia juramentorum pro modo summæ potestatis.

MAjestatis personalis & realis vocabula, quibus hactenus ad discriminis evidentiam sumus usi, etsi minus concinna alicui videri possint, servabimus tamē, bona legentis, ut spero, cū venia; & minus verborum quam perspicuitatis curiosi, juramentum similiter dividemus in juramentum quod præstatur ab Rege, penes quem absolute summa potestas residet, & juramentum quod à Rege fundamētalibus Regni legibus alligato præstatur. Quæ utrobiq; convenientia sit, & quibus in rebus dissideāt, ob oculos ponemus. Apud omnes receptū est,

quod de Romanis Tullius, nullū vinculū majores nostri ad astringendam fidem juramento arctius esse voluerint. Indicant id leges in XII tabulis, indicant sacra: indicāt Fœdera: quibus etiam cum hoste decernitur fides: indicant notationes animadversionesque censorum, qui nulla de re diligentius, quam de jurejurando judicabant. Hoc est quod jurejurandum Ennius vocabat jusjurandum Iovis; utque ex oratione Catonis observatum, eam in Capitolio Iovis Opt. Max. vicinam Romani voluere. Verum enimvero gentiles omittamus. Multo & magis & sanctius id à Christianam religionem professis observatum. Inter eos adeo nullum datur Regnum (subjugata armis domitaque non tango) in quo in Regem seu nascendi sorte, seu per suffragia nullus subvehitur, sive absolute futurus rerum Dominus, sive Regni legibus alligandus, quin adstringat se juramento solemni. Causas mihi perquirenti, præter eam quæ jam nunc allegata est jurisjurandi religionem, quatuor potissimum occurrunt. Prima est, quod Dei imaginem, rerum humanarum summa repræsentent, eoque & ipse Rex tanquam vivum spiransque in terris numen colendus sit ac devenerandus. At vero videmus pro immensa sua benignitate Deum nulla potentiori ratione ad nos descendere, & se nobis communicare, quam quod servantibus mandata sua etiam juret & geminatione juramentorum sanciat beneficiorum benedictionumque perennem constantiam, perinde quoque ergo nihil mortalibus acceptius nihilque potentius à parte Regis in cordibus subditorum excitare posse fiduciam sui, quam si juramento talem se

fore,

fore, subditis promittat, qualem eum esse ipsimet velint, quem sibi beneficum, patrem communem, tutelarem Deum sint habituri. Altera est, quod credatur incentivum hoc acre ipsi Regi futurum, ut quod conceptis verbis edito juramento ratum esse voluit, quam constantissime servet; nec ullam sinat levitatis cujuscumque, nedum luxati juramenti, rei sane sanctissimæ, notam in se recumbere. Hoc commune est votum, ut dictorum factorumque in Rege constantia & veritas sic perpetuo effulgeat, ut & hoc ipso exprimat quaquaversum, Dei illius, de quo in sacris dicitur, *Iuravit Dominus, neque pœnituit eum jurisjurandi*, sibi religionem quam altissime intimo cordis sacrario receptam, nec unquam ponendam aut insuper habendam. Tertia est, quod visum sit hoc juramentum utrimque comprimis facere, ad amoris affectusque demonstrationem sinceram, cum sit tanquam arrhabo bonæ voluntatis & zeli, communem prosperitatem, tranquillitatem, pacem atque securitatem promovendi, tum quoque ut animi subditorum erga Dominum futurum reddantur propensiores, ipsique devinciantur. Quarta, ut reciproco hoc velut nexu ac vinculo gratiora reddantur imperia, & obsequia promptiora; tum si quæ ipsa imperia asperare possent, longius ut haberi, summoveri itidem, atque arceri possint, si quæ moram obsequiis aut allatura aut obloquutiones caussatura fore sit metus. Atque hæc quidem omnia communia sunt & conspirantia tam in personali quam reali Majestate, bono publico, quam optime inservientia: Regem enim si spectamus, præstant ei munimento omni majus fortiusque hoc mu-

nimentum, munimento non egere. Regem nimirum

> *Non sic excubiæ, non circumstantia tela,*
> *Quam tutatur amor.*

Ad subditos si convertimur, dant iis gloriam obsequii, libertati prpximam, dum modo apud se prudenter revolvant, etiam ut Deo, ita & pio Regi servire esse libertatem, neque adeo alibi gratiorem eam quam sub Rege pio inveniri, dum deniq; sciant, hoc vere illud esse quod ipsam libertatem immunem ab illa dominatione præstet, quæ neque finem sui novit, neque modum. Videamus & quæ sint diversa: quæ quidem bifariam possint considerari, tam ratione originis, quam ratione effectus. Effectus scilicet, qui sit ab una parte effectus ipsius juramenti; ab altera Principem ac subditos concernat. De utroque ita quam paucissimis statuendum censeo. Originem quod attinet, procul dubio, id ipsum, quod Rex absolute summus juret, magis esse consilii, cujus jam nunc & caussæ & fundamenta reclusa patent, quam stricti alicujus mandati, aut præcepti: Contra vero ubi Regni legibus adstringendus quis Regno admovetur, non esse id tam consilii quam præcepti. Prior siquidē ille neminem agnoscit, à quo mandatum ullum exspectet: consilium à se capit, aut ab iis quos in consilium adhibere ei placeat: Posterior & ab iis præscriptas, qui suū hoc præscribendi jus nullo modo in nudi consilii qualemcumque authoritatem elanguescere aut degenerare velint. Ergo etiam in personali illa Majestate, non ideo juratur à Rege, ut ostendat tam arcta inter se subditosque intercedere obligatio-

gationum jura, ut nisi juret, Rex esse non possit; sed ut testetur fixum sibi immotumq; esse, eorum quæ sui muneris sint, omnia sic satagere, ut non reformidet etiam nullo adigente aut impellente, quin imo proprio motu instinctuque, supremi numinis hominumque fidem adhibere, & per religiosam asseverationem vadari velut, atque oppignorare, suam de Regno Regnique ac subditorum rebus quam optime merendi constantiam. Quod ipsum secundario quidem verum est, in reali illa Majestate; quatenus nimirum juramentum per fidem quam à Rege exegit Regnum, insigne etiã robur addit utrimq; placitis: sed omnino, ac primario quidem principaliterque, facit hoc juramentum ad substantiam ipsius contractus, ut absque hoc nihil cœptum, nedum absolute actum transactumve dici possit. Ac neque intercedit quippiam, quo minus dicamus, juramentum Regis absolute summi ultroneum prorsus esse, & ab ipsius liberrima sponte proficisci posse, ut qui neque jussis adstringatur, neque obligetur ullius hac in re consilio, præter, aut contra id, quod sibi placuerit deferre. Vltroneo mandatum opponi, nemo nescit. Deinde, cum exigente Regno juramentum sit prçstandum, etsi potest id suo quodam modo esse ultroneum, quatenus & Regi & Regno circa hoc idem velle est & nolle; tamen profluit ab imperio Regni quod est in Rege principium volendi. Denique Regem jam constitutum ponit hoc juramentum, ubi personalis Majestas est; neque enim jurat nisi jam Rex, & quia Rex est; eoque ad summam rei, non potest ulterius haberi, quam pro eo, quod ad altera illa, puræ

coronationem unctionem ac cætera, epimetri sit atque accessionis loco. Diversum est in reali, in qua tantum abest ut pro epimetro reputari possit, ut ne quidem præstari valeat, nisi à Rege constituendo, & qua, ac quatenus Rex esse volet, quique similiter, & absque hoc, nunquam Regno sit potiturus, aut creandus in Regem, eo vero præstito confestim Rex sit futurus, & à subditis Rex agnoscendus. Et si quidem rem recta æstimemus, tendit hoc quodcumque est epimetron ad implenda inaugurationis solemnia, ubi Rex est absolute summus: quod etiam in opposito casu verum est sed non principaliter, utpote quod non tam ad supplenda solemnia, quam ad consumationem initi utrinque contractus & illinc exigitur, & hinc præstatur. Accedit, quod ubi solemnia duntaxat implentur supplenturve, nihil hinc quod in contractum venit (& vero in personali Majestate nihil est quod deduci in contractum valide possit) vel augetur vel intenditur. Ab hoc diversum abit quodcumque vallandi muniendi contractus ergo, jurejurando sancitur: ut est in Majestate reali, in qua exigendi hujusmodi jurisjurandi non alia potentior impulsiva, quam ut sua sanctis effatis non reverentia modo constet, sed efficacia, eaque absoluta. Exigitur ut præstitum hoc juramentum excipiat realis præstatio, quæ ea omnia & singula ex amussim perficiat, quæ fuerint promissa: secus si fiat, hoc agitur ut habeat perjurus vindicẽ Deum à sua parte; ab altera, id est à parte Regni, ut sit agatque soluta & per hoc perjuriũ nullis adstricta vinculis Regni ac subditorum religio; quæ absq; hoc nec laxari possit, neque remitti, ut, quæ hoc ipso

quia

quia à Rege sic juratum sit, etiam à sua parte habenda sit omnino *Sacrasancta*, neque ullo modo violanda nisi per summum scelus ac nefas, nullis quorumcumque demum prætextuum aut excusationum obtentibus ac velamentis in contrarium valituris. Atque hæc circa originem notata sunto: veniamus ad effectus: quos jam nunc diximus duplices esse, & priores quidem ipsum juramentum spectare. Hoc si quis excussum eat, patebit è vestigio manifestaria utrimque diversitas. Agmen ducat quod in personali illa Majestate juramentum etiam quam exactissimè excussum nihil aliud sit quam pura ac puta fidei præstatio, per quam Rex fidem jurejurando facit, à se, quantum in se erit, quam religiosissime ac quæsitissima cum diligentia ac cura præstitum hęc & illa, quæ jurat. Regni legibus alligatus Rex, eadem fide neque minore religione pollicetur se præstiturum, sed addito ni præstet merito pœnæ: quod omnino à personali Majestate tam est remotum atque alienum, ut dum hic in terris agit, ne quidem per somnii umbram, ea ad eum se penetret. Hinc & altera eaque insignita utrimque differentia exsurgit: Nimirum sublato in personali Majestate merito pœnæ, sublata facultate se Regi opponendi, licet quid à Rege fiat, quod ab illa jurisjurandi religione abeat diversum, tamen id valiturum esse, neque esse, ut ex capite jurejurandi non servati nullitatis sic arguatur, ut omni effectu destitutum, summo velut de culmine, cadat in ruinam. Posito ex adverso, quod dicebam merito pœnæ, nihil moratur, quo minus & habeantur, & sint ipso jure, ipso facto nulla, quæ cum vero ac genuino jurejurandi

tenore

tenore ac ſenſu abeuntia, præſcriptos fines excedunt. Quam ſecundam differentiam etiam altera excipit, atque inſigniter ſtatuminat: Nempe quod per illud Regis abſolute ſummi jusjurandum, nihil juris communicetur, nedum ut derivetur aut transferatur in ſubjectos. Vbi vero præſtatur jurejurandum pro jure Regni, quæritur confeſtim ſubjectis duplex jus; primum leges fundamentales Regni ſartas tectas conſervari debere, poſterius id ni fiat, quod & è veſtigio liberum ſibi fiat ad implementum jurejurando ſancitorum contendendi atque annitendi, vel per iſtiuſmodi vias atque media, quæ naturalis ſui defendendi ratio, & à ſe vim atque injuriam procul habendi cura, vel nullis legum formulis id ſancientibus juſta per ſe dictat eſſe, ac legitima. Iungamus, quod quæ à Regibus abſolute ſummis præſtantur promiſſoria juramenta, conſtantem quidem officii tenorem ac manſuram fidem præfigurent, ſed tamen haud aliter haberi aut intelligi poſſint, quam in rem, in ſtatum, in conditionem præſentem concepta; ſic ut mutata tempornm ſecta, facie rerum, Regni conditione, nihil intercedat, quo minus quæ de novo emergunt ſic componantur prout videbitur ex uſu; quod ut fiat nullæ Regni partes ſint aut ſubtorum, nulla quæ totam Rempublicam curandi neceſſitatem Regi incumbentem moretur ex iſto jurejurando enata religio; totum hoc à Rege dependet & à beneplacito regali. In alligato legibus Regni nihil tale. Audiat confeſtim, ab omnibus fieri debere, omnes quod tangat; nullum hic ei præcipui jus, nedum ut habeat quippiam, quod aliorum potiori jure excluſo, aut ſuum dicat, aut vindi-

vindicet pro suo. Hæc circa dubium forsan cuipiam fiet; cum juramentum illud Regis absolute summi ob tantam rerum sursum ac deorsum euntium vertiginem sic ad incogitata extendi non possit,quin & ipsi liberum superstet, etiam eo non attento, sic se adgubernare ut res ferent,an idem quoque non dicendum sit, de altero quem Regni leges tenent,& quidem seorsim habito jurejurandi vinculo, quod in foro poli ex æquo tam hunc quam illum constringit? Verum ut fatear, prorsus subsisto. quid enim, si vis major insurgat, ineluctabilis necessitas premat, irreparabilis calamitatis justissimus metus si omnes moras convocationũ consiliorumq; abscindant? Quid juris?Ex adverso non me fugit quantum è Republica sibi sumat, qui non convellendas nisi cum exitio convellentium Regni leges,ad se trahat. Sed hæc aliis dijudicanda relinquo. Ad propositum thema facto regressu, patet quovis modo si quid, emergente aliquo tali casu reipsa atque de facto contigerit, quod juramento adversetur, subsistere tamen, quod ut de absolute summo Rege dubio carere jam dici cœptum, ita de Rege altero, nisi toto Regno in id adhibente consensum, dici non potest. Cujus quidem Regni consensus eo majoris efficaciæ est, quod sit juramentum illud quod in Regno præstatur, omnine divisum, ac quot sunt pacta conventa, quot stipulationes,tot sint juramenta, tot obligationum vincula, tot prodita remedia in transgressorem; cum sit ab altera parte juramentum quod præstatur non indivisum duntaxat, sed individuum, & nullis specialium promissionum vinculis magis alligatum, quam ad observantiam

totius, & cujus observantia nullis juris alicujus aut mediis aut remediis extorqueri possit à non observante, aut invito. Quin imo si vel obligationem aliquam hinc inde ponere velimus, plurimum tamen inter se differant. Namque ubi personalis est Majestas, populus & pro se & posteris suis gratiam facere possit jurejurandi, utpote non ex vi stipulatus sed voluntate promittentis, effectum sortientis: quod in præjudicium legum Regni fundamentalium ac posterorum fieri non posse satis superque jam nunc demonstratum est in hoc juramento, quod simul & dignitatis est, & simul reale, eoque undecumque causam habet perpetuam. Quæ quidem & ad ultimam posteritatem cum prorogetur obligatio, neque quis Regi in Regno tali succedere possit, nisi in illas fundamentales leges juret, absque hoc nunquam successor futurus, est in eo manifesta utriusque differentia, quod hoc successorem quemcumque demum obligatum habeat, & quovis modo; alterum personale cum sit, eoque ultra personam extendi non possit, ad successorem nulla obligandi potestate transmittatur. Atque hæc etiam de effectu ipsum jurejurandum atque ejus naturam conditionem spectantedicta sunto. Videamus quæ sint illa in quibus differant principem ipsum ac subditos illius concernentia. Primum est hoc, si quod nascendi sorte ac jure succedendi atque ordine Rex habuit jus, illud per se stat, per se firmum ac ratum est, neq; enim illud quod habet in Regno (cum IC^is loquor) suitatis jus, per juramentum nanciscitur, aut adeptum sibi servat. Illum ergo, quod apud Herodianum Caracalla gloriatur, *excipit nascentem purpura,*

& idem

& idem qui hominem videt Sol, intuetur Regem. Sed in Regno, cui leges suæ fundamentales sunt, nullum omnino Regi jus est, nisi præstito iu anteceſſum jurejurando. Alterum est quod prior ille soli Deo obnoxius agat, eoque vinculum illud juramenti, cui se innexuit, nequaquam eum foro quod vocant fori, teneat astrictum. Non habet aut in Regno suo, aut extra illud, tribunal coram quo sistatur, causam dicat, absolvatur, aut damnetur. Secundus, & Deo se per juramentum obstringit, & subditis suis, quibus ex eo juramento quæsitum jus, cui contra niti ac derogatum aut ire, aut velle, quin in perjurii crimen committat atque incidat non potest. Habet ergo is etiam in Regno suo tribunal suum, habet judices, & quibus standum sit Regni leges. Tertium est, quod cum summus & absolutus omnium sit dispensator Regum quem dico prior, etiam juramentum subinde non ita exacte teneatur servare, puta si suprema illa lex, nimirum populi salus cujus observatio Rerumpub. omnium & legum finis est, ita exigat: si quid occurrat iniquum privatim, utilitate in singulos publica pensandum. Secundus habet normam ad quam se componat, limites quos non excedat. Sin & prior ille (cujus tamen illi nulla obligatio) rationem subditis à se factorum reddere velit, & cur à juramento sibi recedendum judicarit, declarare, & audire eum subditi tenentur agentem pro jure suo, audire ut nulli coactivæ directioni ob non præstitum à se juramentum subjacenti. Quod in secundo verum non magis est quam si in scholis disputantem quis admittendum diceret, qui neget principia. Omnium ratio est, quæ

etiam notabilem in se differentiam complectitur, quod absolutè summus Rex, Deo, unde ei in omnia regimen, juramentum hoc magis præstet quam sibi subjectis, quin imo, subjectis ne quidem præstet illud juramentum, quantum ad illam parendi necessitatem, & valentiam ligandi, & robur cogendi ad observantiam juratorum, de quibus hic solis jam quæstio movetur. Alter autem & Deo jurat, quem juxta quoque & testem & vindicem ciet, & simul iis quibus cum imperio est præfuturus; in tantum ut juramento secundum leges præstito non minus stare teneatur, quam ipsis legibus, ut ex illo jurejurando enatum obligationem neque obliturare possit neque ullatenus albo eradere, quin imo ut subditos non habeat, nisi quatenus servat juramentum. Prorsus ut ex ipsis his omni jure liberi sit, neque iis fraudi esse aut possit aut debeat, si à juramento temerarius recesserit, quin compellant eum per tramites legitimos ac formas etiam legum, ut rata præstet quæ, tam religiosa adservatione interposita, in se recepit.

CAP. XIII.

De Obligatione quæ ex istis Iuramentis.

EX allegatis jurisjurandi formulis eadem quidem videmus utrobiq; jurari, sed non eodem modo, aut eadem sub lege. Consequens est, ut & videamus, quis juramenti istius sit effectus; nullus futurus, nisi obligationem aliquam pariat Et quidem ipsum juramentum

tum per se obligationis satis est, cum habeat Deum testem & vindicem. Vnde apud Tragicum;

Fidem alligavit jurejurando suam,
Si pejeravit, timere nil gravius potest.

Horrendum sane est incidere in manum Dei viventis. Sed hoc alio omni jure, atque illius mediis ac remediis consumptis supplicorum extremum est, quo perjuri servantur, quanquam etiam præsenti vindicta suas perjurio pœnas irrogari statuerunt vel ipsi gentiles: cujus eximium est in Eumenis vita exemplum. Hic cum ad milites verba faciens nec illo ipso proficeret, quod diceret, *Quater intra hunc annum in mea verba jurejurando obstricti estis* precibus in iram versis, animorum irarumque plenior. *At vos*, inquit (verba ejus sunt apud Iustinum) *devota capita respiciant dii, perjuriorum vindices, talesq; vobis exitus dent, quales ducibus vestris dedistis. Nempe vos iidem ante paulo Perdiccæ sanguine estis aspersi, & in Antipatrum eadem moliti. Ipsum denique Alexandrum si fas fuisset mortali manu cadere, interempturi, quod maximum erat, seditionibus agitastis. Ultima nunc ego perfidorum victima, has vobis diras atque inferias dico; ut inopes extorresque omne ævum in hoc castrensi exilio agatis, devorentque vos arma vestra, quibus plures vestros, quam hostium duces absumsistis.* Quis, eas diras exceperit exitus si quærimus, non irritæ fuere. Tradit Plutarchus in Eumenis vita; nec non Stratagematum lib. 4. Polyænus, Antigonum ipsos, cui maxime profuerant, ob perfidiam execratum Sybirtio tradidisse Arachosiæ præfecto, omnibns modis atterendos conficiendosque

dosque. Sed & ducem eorum Antigenem in caveam æneam inclusum, vivum combussisse, author est Diodorus Siculus lib.19. Plane ac si fuerint hæc non tam optantis, quam prædicentis, nec magis ut fierent cupientis, quam quod futura essent præsagientis ducis. Invisa Deo perjuria, sed & invisa maxime hominibus: fieri enim non potest, quin perjurio læsa, animorum illa conjunctio, quæ interveniente sacramento facta fuerat indissolubilis, in mortale atque execrandum odium convertatur. Hic locum habet illud Tullii, *Omnium est inimicus communis, qui hostis est suorum.* Sed de obligatione ipsa, in qua sola potissimus est juramenti effectus, pressius agamus. Ea subditos spectat, aut Regem: utrumque diverse, ac diverso respectu. In Regno, quod absolute summum imperium agnoscit Regis, ne attenditur quidem, an populus juret nec ne. Neque enim ibi ullius juramentum est obedientiæ vinculum; quam & absque juramento debeat, ac ni præstet, ex debito possit cogi. Quod jurat, eo tendit, ut Deum habeat testem ac vindicem: Regis vero intuitu seu juratus populus, seu non juratus res novet, turbet, imperium excutiat, nihil refert, ex æquo noxius est. At in Regno, ubi Regem ipsum sibi alligatum habent leges illius fundamentales, nequaquam pura aut absoluta est, sed conditionalis subditorum obligatio. Sub priore illa regiminis forma abest à populo vis omnis ac potestas cogendi Regem ad contractus implementum: Ipse ex adverso ad omne obsequium, & obedientiam omnem sic tenetur, ut ei se subducere sine summo scelere non possit: quod Regi illi absoluta illa sit

pote-

poteſtas facundi quod velit, ut nemo ei dicat, quid facis? quare omnino ei talis ac tanta debetur obedientia, ut in ſuperioribus late eſt demonſtratum. Sub altera poſteriore non eſt idem juris. Nam quod ad ſubditos, hi quidem, ſeu pure, ſeu ſub conditione juraverint, juramento ſtare tenentur, modo Rex à ſua parte non deſit: ſi hic deficiant, abſoluta ei ac libera poteſtas eſt, eos ad præſtandum obedientiam, ut refractarios, perduelles, divinæ ac humanæ Majeſtatis læſæ reos, & fœdifragos, quibuſcumque & videbitur & poterit modis, cogendi. Sed quid ſi deficiat Rex ipſe? quid dicendum? Certe non aliud eſſe jus Fortibus quam Sannatibus: ubi eadem ſit ratio, eandem eſſe diſpoſitionem juris quoniam vero hoc illud ipſum eſt, quod hoc capite potiſſimum nobis tractandum reſtat, non inutile erit conſiderare, hic jam ſubditos non ſpectari, ut quos hæreditarium aliquod jus, hujus illiusve in regnum ſucceſſioni addixerit, aut qui vivant in eo regno, in quo manu regia omnia gubernentur; ſed ut homines liberos, juris ſui & retinendi & amittendi Dominos, niſi quatenus ſe per contractum Regi ſubjecerunt, ac tales proinde, in quos, dempto eo vinculo, nec nomen ſubditorum, nec quæ alias ſubditorum ſit obligatio, cadat. Hinc planum primo, ſubditis, ut talibus, nullo plano modo licere, ut ſe ſuperioribus ſuis opponant: at nec minus ab altera parte liquet, quæcunque ipſorum ſunt beneficio contractus initi, ſarta illis ac tecta ea ſervari debere. Ipſum hoc per ſe evincit nomen contractus, quem ut Græci propterea συνάλλαγμα dixerunt. Συναλλάττειν his idem eſt quod contraho: quod verbi ſive deducas à

cas à σὺν & ἀλλήλων. ut significet Viciſſim & reciproce agere, ſive à σὺν & ἀλλάττω muto, ut concordem & ſimultaneam in unum mutationem demonſtret, parum refert: manet ipſa res, quod nimirum, ut convenire dicuntur, qui ex diverſis locis in unum quendam colliguntur; ita & qui ex diverſis animi motibus in unum conſentiunt, alter alterum trahant pertrahantque in aſſenſum ſui, ſic & in unam ſententiam decurrant, quodque (id enim hic palmarium) ex hoc in unam ſententiam decurſu, ſtatim obligatio exoriatur, atque ex obligatione jus, ſeu remedium juris id quod ſibi debeatur perſequendi. Vſque adeo enim contractum obligatio determinat, ut non alius ſit contrahentium finis, quam ut mutua obligatio introducatur. Certe Vlpianus ait, Contractum eſſe ultro utroq; obligationem. Inſtitutionum Paraphraſtres Theophilus, Contractum eſſe duorum pluriumve conventionem & conſenſum, ad conſtituendam obligationem, & ut alter alteri fiat obnoxius. § ult. de oblig. it. Hoc vero in caſu potentior etiam ac major obligatio eſt Regis, quam Regni, cum ſit proprie Regnum quod ſtipuletur, quod legem contractui dicat, Rex vero obligetur ex promiſſione, quæ ſtipulationi reſpondeat: ſic ut ſtipulantis obligatio proprie non videatur, ſed promittentis tantum; quanquam, ſi verum amamus, ut decet ac profitemur, verus hic ſit contractus, vera obligatio, ut verus eſt etiam in mutuo contractus, ubi tamen unus eſt duntaxat debendi reus. Quoquo modo, quin tempore atque ordine prior ſit Regis obligatio dubio caret: tam puram & abſolutam eſſe, perinde in confeſſo eſt. Si cui negandum

dum videatur ipſam Regni obligationem eſſe conditionalem (neque enim ego ſic ſtatuenti me temere oppono) certe is non negabit, vel utrimque conditionalem eſſe, non negabit ſimultaneam eſſe, non inficiabitur utramq; eſſe obligatoriam ultro citroque. Illud in rem præſentem ſatis eſt. Obligatione reciproca conſtituta, neceſſitas quoque implementi ſimiliter reciproci conſtituitur, niſi quis id actum putet ut in alterius voluntatem conferretur, in quantum obligatus eſſe vellet. Quod abſit. Non admittit ultro citroq; obligatorius contractus clauſulam *Cum volueris*, aut *Si volueris* : hanc ſi habet, mutilus eſt, & ut dicunt ICti. claudicat. Implementi vero poſita neceſſitate (eo quod legi per contractum introductæ ſtandum ſit) actio ponitur ad implementum, quacumque datur juris communio. At nemo dicat, non dari communionem juris, ubi contractui ſit locus, ubi obligationi è contractu enaſcenti. Quæ proprie hic difficultas, non tam eſt ea de communione juris, quam de proſecutione atque exſecutione ejuſdem : Certum quidem eſt, Regem eſſe legem animatam, proinde ſemet ipſo judice damnatem eſſe debere, ſi contractui non ſtet. Sed quid ſi hoc inſuper habeat? Talis illa αὐτοκαταδίκησις non eſt ſufficiens ad reſarciendum intereſſe regni per violationem contractus damno mulcati ac læſi. Dicendum rotunde, nec in Regno, nec ad Regnum, quod vi talis contractus habeat, Regi jus eſſe, niſi quæ placita ſunt adimplere paratus ſit l. Cum proponas. 23. C. de Pact. Conſequens eſt, non eſſe ut hic Rex ſpectetur aut Regnum, ſed quæ modo ſit contractus natura. Is vero cum dictus

sit esse ultro citroque obligatorius, omni jure in se tacite comprehendere intelligitur, mansuram obligationem, & præstitum iri quod promissum est, si per alteram partem non stet, quo id minus fiat. Ei vicinum est, sublata per violationem contractus illa juris communione, quam ipse inter contrahentes introduxerat, contractum etiam obligandi vi atque efficacia ipso jure destitutum esse respectu illius obligationis, qua vel ultro se teneri fateatur læsa pars, nisi contractus violatio intercessisset. Quod dictum nolim sane ad omnem violationem contractus statim extendi. Nam etsi violetur contractus, non modo per actus ei obnixos atque adversos, sed etiam non adimplendo, ut disertim satis colligitur ex d. l. Cum proponas. C. de pact. ea tamen quæ hujusmodi sunt, ut monemus in l. si cui simplicius § de servitut, civiliter intelligenda sunt; quovis modo non cavillanda aut calumnianda. Loquor igitur de violatione essentialis in contractu conditionis; illius nimirum propter quam contractus initus ac celebratus est, introductaque obligatio; quæ nisi & introducenda per talem contractum valide fuisset, non fuisset altera partium contractura. Sic & conjugium (cujus quidem consideratio hujus nostri casus perquam similis est) non omne peccatum tollit, sed quod directe & adversa fronte in ejus naturam incurrit. Quod dum statuo, non est ut contradicturum reformidem. Stat pro me sacer textus, cum ait, *Non est subjectus frater aut soror in hujusmodi*. 1. ad Corint. c. 7. v. 15. addita ratione, *In pace vocavit nos Deus*. Eam in pacem autor, stator, ac vindex regnorum Deus etiam illos qui cum imperio

præ-

præsunt, & qui subsunt vocavit, ut staret inter eos dictorum factorumque constantia ac veritas. qui hanc suxanti paret tamen, Deo rem totam, & vindictam retributuro committens, ipse quidem non peccat: sed & qui non paret, ex quo ei liberum est non parere, saltem ex quo nulla coactiva legis aut justa superioris vi ad hoc obligatur, sui juris est, & ut dicitur in hujusmodi non est subjectus. Regis vero ex altera parte obligationem validissime intendit superadditum firmando contractui jusjurandum: quod quale, & quanti momenti foret, quam traheret sequelam: quam arctos vinciẽdi nexus haberet, omnino antequam juraret, & scivit & scire debuit. Non vi, non metu, non dolo inductus, sed liberrimæ spontis ac suæ juravit. Per jusjurandum ipsum & Domino Deo (ita loqui fas sit) & regno quæsitum est jus. Reddendum ergo id quod juravit, & ipsi Deo, cui & per quem, & cui juravit etiam regno: præsertim eo juramento dato, à quo omnis dubitationis & ignorantiæ obtentus quam longissime absit. Huic utique juramento antistites juris tantum deferendum prudenter statuerunt, ut eo ipsi quo juravit dicendus sit aliis omnibus, quæ rei per juramentum formatæ adversari possent, quam liberrima voluntate, atque ut loquendi imos est, proprio motu renunciasse: eoque ipsi jurejurando etiam generalis ac tacitæ renunciationis vim inesse, inesse vim expressi consensus, inesse vim clausulæ *Ex certa scientia*, item clausulæ *Si non valeat ut ago, valeat ut valere potest*, aliarumque. Omnino ut neq; aut facto, aut lege, aut statuto contrariis ei abrogari possit, nedum derogari; sed firmo ratoque manente qua-

qua versum juramento, ad omnes se diffundat ejus obligatio, tam præsentes, quam absentes, & ut verbo absolvam, quoscumque, qui sunt, quique erunt. Hanc ipsam quoque obligationem dici non potest quantum firmet, quod non modo generale sit, & generalibus verbis aut conceptum aut datum, sed specificum, expressis minutim capitatimque omnibus & singulis, super quibus interpositum est juramentum. Tollit nimirum hoc omnem nedum contraveniendi, sed vel contradicendi valentiam; & quæ contra fiunt, ipso jure, ipso facto, nulla reddit atq; irrita: quare & exactior illius observantia requiritur; & implementum, ni specifico specificum respondeat, omni æquivalentis atque æquivalentiæ prætextu longissime remoto, desertim requirit. At omnium maxime, quod juret Rex, se juramento illi quod regno præstat, non contraventurum. Hoc sane simulationem omnem, errorem omnem, omnes & simulationis & erroris allegationes aversatur ac damnat, & simulationis quidem non magis admittit, quam propriæ turpitudinis in judicium deductiones, excludit omnes omnino de contrariis quandoq; remediis adhibēdis cogitationes, omnes cōtrarios actus. Quò ne multis, in omnibus & per omnia tale habetur hoc jusjurandum, ut judicium, justitiam, ac veritatem sibi comites habeat; eoq; non luxandum: quin si veniendum sit in disceptationē judicialem, tale sit, ut contra nitenti allegatio juramenti de non contraveniendo, sola in causam sufficiat, valeatq; in vim peremptorii. Quicquid ergo cōtra hunc contractum designare, quicquid contra hoc juramentum statuere pro imperio Rex volet, tantundem

erit,

erit,ac si mandati fines excedat, ac supra,aut præter jurisdictionem jus dicat. Non est,ut hic multi simus. Quum mandati fines mandatarius excedit, non teneri mandatorem liquet. Super,& præter jurisdictionem quum jus dicitur,impune non pareri, & jus dictat, & quæ pro omni jure,ratio naturalis. Concludo hunc talem Regem nequaquam fundamẽtalibus Regni legibus solutũ agere;cumq; humanæ societati nihil tam proprium aut conveniẽs si, quam pacta servare, ac fidem datam non fallere, etiam hic absolute eum teneri. Proinde & hoc quoque ratum esto, fidem ni servet, nec Regni quoq; fidem ei ultra obstrictam esse; frustra eum fore, si ex pacto aut contractu commodum sibi aucupetur,quod ipse violaverit. Consequens est, quod cum primis cavere debeat, ne fidem quatenus Regno eam dicavit, etiam ipsi Deo dicatam, collutulet polluatve. Hac abrogata, teneat, omnem tolli humanam societatem,cujus potentissimum coagulum est fides, humanitatis totius supremum vinculum, & præcipuum bonum. Sed & subditi, & Magistratus, omnes denique, quam serio perpendant, noscendam sibi religionem suam in ipsa fide. Deum non rideri: Hujus nomine ad fallendos homines abuti impietas execranda sit; imprimis autem ad fallendum Regem, uni Deo secundum; quem εἰκόνα ἔμψυχον τοῦ θεοῦ etiam gentiles appellarunt; veri autem Christiani Deo proximum & quicquid habet, à Deo consequutum.

FINIS.